This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

DE SPIRITIBVS EORVMQVE DISCRETIONE LIBRI DVO

PRIOR

B. HENRICI A VRIMARIA

POSTERIOR

VEN. HENRICI AB HASSIA DICTI

DE LANGHENSTEYN

ORD. EREM. S. AVGVSTINI S. TH. DOCTORVM

Homini Spirituali, Animarumque Præpoſitis perutiles.

ITEM

VEN. GVILIELMI TOLOSANI

EJVSDEM ORD. S. TH. D.

TREMENDA VISIO DE POENIS INFRRNI.

Ex MSS. Exemplaribus eruti & ab infinitis mendis Correcti.

Acceſſit vita eorumdem,

OPERA

Ac ſtudio R. P. CORNELII DIELMAN *ejuſdem Ord. Iubilarii Gandenſis.*

ANTVERPIÆ, Apud Viduam Jo. Cnobbari. 1652.
PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

A

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO

IN CHRISTO PATRI,

AC AMPLISSIMO DOMINO

D. LIVINO VAENTKENS,

CELEBERRIMÆ ABBATIÆ

BAVDELOENSIS

ORD. S. PATRIARCHÆ

BERNARDI

PRÆSVLI DIGNISSIMO.

Frater CORNELIVS DIELMAN
Auguſt. Gand. L.M.D.C.Q.

EX Convotis noſtris Cognominum, *Henrici Vrimarienſis Inſtinctus*, & *Henrici Langhenſteinii Spiritus*, MSS. Exemplaribus erutos, Tibi *admodum R.de* ac *Ampl.me Domine*, quâ par eſt animi ſummiſſi obſervan-

tiâ venerabundus polluctum venio. Invitum Genii mei *Spiritum* nolui aliorſum cogere, qui ſuæ ſpontis *Inſtinctu*, directâ benevolentiæ & gratitudinis Ecclypticâ ad *Te* ferebatur. Ad *Te*, dico, Cui cùm doctrinæ, tum virtutis *ſpiraculum*, verè *Signum in bonum, inſpiravit Spiritus* ille, qui *ubi vult, ſpirat*: ut jam inde probare noveris *Spiritus, ſi ex Deo ſint*; ut etiam in Salutis *ſigno*, quod Hieroglyphicis *dignitatis Tuæ* Inſignibus inſculptum oſtentas, & nonniſi in illo, tāquam ſacro Emblemate, quo Tuum ex Deo Spiritum non vanè portendis, piè cum Apoſtolo gloriere. Scilicet interdum alius eſt, atque alius, qui de acceptis deſuper honorum chariſmatis inſolenter gloriatur, quaſi non acceperit. Tu verò inter Eccleſiæ Primates, & Patriæ Patres collocatus, præclariſſimum munus non erectiori criſtâ adminiſtras; ſed, quâ ſoles, tam modeſtâ benignitate, tam comi manſuetudine, tamque affabili facilitate, ut reapſe conteſteris, ab Eo illud Te accepiſſe Datore munerum, à quo *omne da-*

ne da-

Digitized by Google

ne datum optimum, & omne donum perfectum. Quamquam & olim conteſtatus es, cùm Monaſticæ diſciplinæ ab ipſo ſtatim ſuſceptæ Aſceſios primordio ſeveriſſimus obſervator, mellei in Chriſto Patris tui virtutes examuſſim jugiter es conatus exprimere: cùm Oeconomi primùm, & Prioris deinde ſpartam adornans, tam curace vigilantiâ, tam fideli prudentiâ, tam ſuaveſeverè ſeu Superiores, ſeu Pares, ſeu Subiices Coaſcetas intra officii limites continuiſti, ut ab eo inde tempore in publicam felicitatem, & commune *Baudeloenſium bonum* augurato, auſpicatoque *Signum* dicereris. Jure igitur me meus benevolentiæ *Spiritus* ad Te adegit; Sed & debita gratitudo exegit. Quippè in cujus ſinum ſeſe aptiùs illatebrent *Auguſtiniani Spiritus*, quàm in ipſius, qui adfectū erga Ordinem Auguſtinianum multò luculentiſſimum ſtudioſè identidem exhibuit? Teſtis eſt Magni Patris *Auguſtini* Solemnitas, quam ſacra in Æde noſtra ſolemniſſimis Orgiis, & Pontificali Miſſæ ſacri-

 ficio

Digitized by Google

ficio plurimum exornaſti. Teſtis eſt Muſa noſtra Gymnaſtica, cujus ex Divis noſtris *Guilielmum* Cothurnis indutum, in Theatro & Syrmate ſpectandum, ſub Nominis Tui auſpiciis in Scenam prodire gratiosè permiſiſti utque Literariæ Juventutis ingenia præmiis acueres, ſtudiorũ illicia multum honorificas Encenias liberaliter es elargitus. Teſtis denique hæc ipſa mea Canities, cui licet immerẽti, cùm annum Religionis quinquageſimũ ritu Jubilæo, in conſpectu & Dei & populi indignus nuper ſãctificarem, munificæ præſentiæ Tuæ magnitate honorem, juxtà & ſplendorem favorabiliter contuliſti. Non recenſebo plura quæ Tibi Cælum fecit, *Signa in bonum*, virtutum Tuarum ſive Encycliam, ſive Encyclopædiam ampliorem; quia recenſere mihi quidẽ deſideranti fræ-nos iniicit animi Tui Religioſa ex apice modeſtia. Tantum quale quale benevoli gratiq; adfectus ſymbolum oblatum eo, pro tantis benefactis exiguum aliquid redhoſtimentum. Hoſ-

ce pro-

ce proinde *Spiritus Auguſtinianos* & excipiat, amabo, vetus Tua, quam jamdudum foves, Auguſtiniana Benignitas; & probet tuus ille *Spiritus*, quem ex Deo habes, ſi quoque ex Illo ſint; exceptos denique & probatos, contra Theonynum dentem, contra ſomni noctiſque filium tutiùs aſſerat Tua nunquam vacillans Auctoritas. Vale *admodum R.*^{de} *ac Amp.*^{lme} *Domine*, & factis Tibi cælitus Signis in bonū fruere, & perfruere *in bonum* æternum. Gandavi, In Monaſterio FF. Eremirar. S. P. N. Auguſtini, 21. Novembris 1651.

Digitized by Google

VITA
B. P. HENRICI
DE VRIMARIA
S. THEOLOGIÆ DOCTORIS
EXTATICI,
ORD. FRATRVM EREMIT.
S. AVGVSTINI.

EX DIVERSIS.

Bibliotheca Angelica

HEnricvs in *Lantgra-* 1
viatu Thuringiæ Frimariam, *Patria.*
ſive *Vrimariam* per V conſonans, pagum natalis ſoli non incelebrem, haud longè Erffordia Metropoli diſtantem, cognomine referens, non diverſus, ut *Antonius Daça*, & *Lucas Waddingus*, exiſtimant; ſed idem cum eo eſt, quem aliqui *de Alemania*, communi patriæ nomine *Eximia virtutes.*
nuncuparunt: vir corporis integritate & au-

ſteritate magnus ; oratione vitæque meritis major : at humilitate, patientiâ, cunctiſque virtutibus, uti & ſcientiâ maximus; omni ſæculorum memoriâ dignus, Deo hominibuſque gratus, atque omnium opinione inter illuſtres Auguſtinianæ Religionis viros, præclaraque Germaniæ lumina meritò ſemper recenſitus.

Fallitur ergo Claudius Roberti eum inter Carmelitas recenſens.

Ab ineunte adoleſcentiâ artibus liberalibus in patriâ inſtitutus, contemptâ fortunæ temeritate ac vanitate, nihil humile, nihil abjectum meditatus; ſed quo erat vivido, erecto, atque excelſo animo, quidquid eruditionis eſſet, ſummo ſtudio evolvit, excuſſitque aſſiduo ac pertinaci labore, animum cunctis artibus ac diſciplinis excolens, nec non in illa jam tum ætate ex Ægyptiis opibus incomparabilem ſibi theſaurum corrodens, quem poſteà adultior, ad Dei templi dignitatem, majeſtatemque amplificandam eſſet expromturus. Intereà temporis, converſationis Religioſorum addictiſſimus, paternâ domo templum; vitæ Monaſticæ aſperitates paternis deliciis; ſancta Deo conſecratorum colloquia, coæqualium familiaritati, Religioſæ veſtis abjectionem paupertatemque, cunctis mundi honoribus divitiiſque antepoſuit.

2. Tandem Ordinem Eremitarum S. Auguſtini Profeſſus, animum ſic à terrenis ad

cæleſtia convertit, eâque innocentis vitæ integritate ac Monaſticæ Religionis obſervantiâ vixit, ut omnibus mox non ſolummodò par fieret, ſed præcipuis quibuſque vitæ exemplo præluceret, cunctiſque ſodalibus ſummè foret dilectus. Quippè ut habet (a) Mathias noſter Hirſchbergh: *Vir erat honeſtiſſimæ converſationis, vitæ pariter eximiæ, ſanctitate decorata, ferventiſſimâ divinâ dilectione, & ſuaviſſimâ contemplatione, ſanctiſſimi ſui Patris Auguſtini æmulans veſtigia, ad ſummæ perfectionis culmen pervenit.*

3. Huic tam ſtrenuo perfectionis ſtudio, miram quandam & inextinguibilem Theologicæ ſcientiæ copulavit ſitim, quâ vernanti adhuc ætate Lutetiæ Pariſiorum, ubi maximè claruit, Doctoris annulo, frequenti diſceptantium congreſſu atque applauſu eſt inſignitus, Doctor ſummis elogiis ſalutatus & cathedrâ donatus. Neque talentum à Domino ſibi creditum ſudario illigavit, terræve infodit; ſed ut prudentiſſimus diſpenſator in communem utilitatem convertens, multo tempore *Pariſiis* primùm Cathedram rexit Magiſtralem, ſuamque doctrinam, cum aliis, quâ publicè docendo, quâ diſputando, eruditeque ſcribendo, ſine invidiâ liberaliter communicavit; deinde in *Alemaniâ* ſuâ, ac

(a) Epiſt. Iſagogicâ Sermonibus Henrici de Sanctis præfixâ.

Bohemiæ regno, præcipuè (*b*) *Praga* tri urbe *Bohemiæ* primariâ, ubi Monaſterium noſtrum *S. Thomæ* ſcholis floruiſſe liquidum eſt ex libris Pragenſibus: & earum fuiſſe Regentem *Heynricum* (ut codex vetuſtus habet) *De Vrimaria* Theologum, doctrinâ, & ſanctitudine clarum, atque *Ioannem de Legnica* Lectorem ut appellant, ſecundarium anno 1353. Hiſce in locis *Henricus* non vivâ duntaxat voce, abſcondita ſacrarum Scripturarum & Theologiæ myſteria, pro lectione & concione pluribus enucleavit, ſed plurima inſuper optimorum librorum monumenta, & in philoſophicis, & Theologicis, poſteritati, omni tempore profutura reliquit. De quibus poſtmodum plura.

4. Concertabant in eo, honeſtâ quâdam æmulatione doctrina & bonitas; ut dubites, utra in eo fuerit major. Quid enim aliud gignere poterat juge ſtudium litterarum, quàm virum exultum litteris? Quid Chriſtiana pietas aliud, quàm virum religioſiſſimum?

Quæ

(*b*) Recipiunt ſe eò fratres noſtri Octavo Kal. Majas anni 1285. quo etiam anno Dominica 5. poſt Paſcha conſecratus eſt Chorus in honorem S. Thomæ Apoſtoli per Archiepiſcopum Moguntinum coram Archiepiſcopo Trevirenſi, Epiſcopo Pragenſi, & Olomucenſi, eorumque Suffraganeis.

Digitized by Google

Quæ orationibus, aut humanæ vitæ neceſſitatibus horæ ſupererant, nullo apud eum ocio terebantur; ſed eas omnes is impendebat continuo volutationi librorum. Nihil enim ei antiquius, quàm dicto & facto contra *ocium, Matrem nugarum, novercam virtutum, univerſæq; malitiæ radicem*, dimicare: hoc publicis agebat concionibus; hoc privatis exequebatur colloquiis. Ocij fuga.

Cujuſlibet etiam exigui temporis jacturam ita magnifaciebat, ut cùm nihil in eo unquam à mentis, vel corporis labore vacâret, ipſas quoque temporis partes, ſomno, vitæque alimento ſumendo neceſſarias, velut ſibi ocioſas, ſurripere ſit conatus: priorem, ad paucarum tantùm horarum ſomni ſpatium; poſteriorem, ad quotidianum ferè jejunium contrahens.

5. Frequens ei in ore erat illud Senecæ: (*a*) *quædam tempora eripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt.* Eripi autem, ac veluti vi quadam iis auferri aſſerebat, qui licèt omne tempus avarè colligant, ac ſervent, ab eis tamen ſomnus, cibus, ac potus nonnihil quaſi violenter extorqueant; illis verò ſubduci & clam quaſi inſidiosè ſurripi, qui id ſibi ipſis vel ab amicorum colloquiis, vel ab inutilibus rapi patiuntur operibus: ipſis tandem effluere, quibus cum ocio ignaviaque torpeant, omne tempus abſque fructu elabitur.

(*a*) lib. 9. epiſt.

Hocce tamen inter præfatas temporis jacturas ſtatuebat diſcriminis, quod primam, quæ naturæ neceſſariis eripitur operibus, quodammodo venialem aſtrueret; ſecundam verò, quâ qui inutiles ſibi occupationes atque ſolicitudines accerſit, ita eſſe culpabilem, ut & bonis melioribuſque negotiis tempus ſurripiat; ac vitam magno labore, nulloque fructu conſumat: tertiam denique, quâ quammultò vel ocio, vel inertiâ marceſcunt, vel quod deplorandum magis, totam vitæ periodum in flagitiis ſceleribuſque tranſigunt, turpiſſimam eſſe. Cùm enim hi nullum tempori pretium ponant, diemque nihili æſtiment: ſed ventri ſomnoque dediti, improbè ac ſine pietate vivant, omne illis tempus, quo nullus ſumptus eſt pretioſior, turpiſſimè elabitur. Quis horum vivendi tempus, vitam exiſtimet? Turpitudinis potiùs, quàm vitæ curſum appellaveris, cui nihil vitæ in morte ſuperſit.

6. *Henricus* noſter cùm tempus ab omni vel levi jactura vindicare vellet, omnes ſic horas complectebatur, ut nullam perire, nullam elabi, nullam ſibi ſubduci pateretur. Quòd ſi aliquas ſibi vel à ſomno, vel calefactione eripi neceſſitas ipſa compuliſſet, has veluti deperditas lugebat, niſi illas divinæ charitatis auro priùs inauraſſet, adeoque meritorias, Deoque gratas & acceptas reddidiſſet. Quamobrem ſomnum, ſibi & potus ſumptio-

Digitized by Google

ſumptionem, aliaque opera naturalia, & ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria, actuali vel virtuali intentione in Deum ipſum referebat.

7. Quantæ verò accurationis fuerit in ſuis lucubrationibus dignoſci poteſt ex eo, quod faciebat in alienis. quippè nullum unquam legebat librum, in quo ſi quem, ſcribarum forſan incuriâ, errorem animadvertiſſet, non negligenter corrigeret; ſi quid memoriâ dignum, non in margine annotaret: ſi quid diſtinctione aut declaratione dignum Gloſſis quibuſdam non declararet, aut diſtingueret. Mirum videbatur hiſce, qui profundiorem litterarum dulcedinem non ita guſtaverant, quî fieri poſſet, ut is firmo validoque corpore atque indefeſſo ſemper animo tot ſubiret lectitando ac ſtudendo labores. Næ *B. Iordanus* à *Saxonia* fatetur ſeſe ex illius ore ſæpiùs audiviſſe, nunquam ſe ſtudiis fuiſſe defatigatum, aut vllo capitis, dorſi, humerorum, vel aliorum quorumcunque dolore membrorum adfectum. Jmò ipſum jam ſeptuagenarium in Theologiæ palęſtram, quaſi ſitiētem, & ſcientiarum (quarum nulla eſt ſatietas) avidum tanto docendi diſcendique deſiderio deſcendiſſe, ut ſacras Scripturas, antiquos Patres, Scholaſticoſque Doctores penè nunquam ceſſaret.

Studium ſcientiarum.

Lib. 2. Vitarfrat. cap. 22.

Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ.

8. *Quippe perdius* & pernox ita incumbe-

bat libris, ut vix Lector quiſpiam recèns reperiretur promotus, qui tam pertinacem ſtudiis, Scholaſticiſque exercitiis laborem impenderet, atque *Henricus*. Quamobrem cùm ſemel illi quibus major cum eo intercedebat conſuetudo, comiter ei dixiſſent: *Reverende Pater Magiſter ita ſtudes in Germania, ac ſi Lutetiæ Pariſiorum nunquam ſtuduiſſes; Si Lutetiæ ſat ſtuduiſſes, haud opus eſſet hîc tam continuis te ſtudiis macerare*: ſapienter illud *Solonis* reſpondit, *Etſi alterum pedem haberem in ſepulchro, adhuc diſcere vellem*. Et illud ejuſdem; *Seneſco ſemper plurima diſcens: & mihi quidem videtur, ſemper ſic oportere aliquid diſcere eum hominem, qui Philoſophus futurus ſit, ſive junior, ſive ſenior ſit, ut in vita quàm plurima diſcat*. Apud Platonem dialogo de Philoſophia, lib. 2. Veram autem ſapientiam non tàm diligenti ſtudij acquiſivit conamine, quàm humili devotaque Oratione cui ſemper potiores temporis tribuit partes, non ignarus ſpiritum hâc deterſum calefactumque ſcientiarum arcana & citiùs capere & clariùs faciliuſque penetrare.

9. Et quidem tantum negotij *Henricus* in ocio ponebat litterarum, exploratum habens, ut ab ære rubigo limâ, ſic ſcientiarum exercitatione inertiam ab animo amoliri: ut corpus eſcis, ita mentem litteris ali; & Regium Vatem pſallere, *Meditabor in juſtificationibus tuis ſemper*. Si aſſiduis orationũ ſive jaculis ſive
Pſal. 118. v. 117.

animo,

animo, ſive etiam voce ictis, feriat Religioſus cælorum arces, habet ſanè officia, quibus quotidiè, quibus ſemper exerceatur; ſin autem; quid faciet? feriatus, iis ſæpè animum implicat, quæ nihil ad religioſum. Laudo opera Religioſorum; ſed quæ Religioſos decent & ea in primis, quibus animus excolitur. Si quando Monachum ſolitudinis tædet, habet domi, penes ſe habet, quibuſcum ineat ſodalitatem; excitet libros; cum eis ſedeat: & plus eos ſub ſilentio loquentes audiet, quàm mille homines in foro garrientes atque vociferantes. Varia hîc habet colloquia, & mirabilia ad nutum. Si quis faſtidio eſſe cœperit, illicò abſque injuriâ dimittetur. Nulla hîc odia, nullæ iræ, dicacitas nulla. Aſſentimur, argumentamur, negamus ad libitum; hunc ponimus, illum tollimus: probamus hos, illos minimè; quis conqueritur? Nulla hâc ſocietate tutior: nulla, ſi ſapimus, delectabilior. Congredimur hâc viâ cum Regibus ac nobiliſſimis viris abſque cunctatione, aut internuncio; Summos adimus Pontifices abſque ſecretis Cubiculariis: ſanctiſſimos pariter atque eruditiſſimos de rebus maximè arcanis, quas natura complectitur, vel veneratur, ſtatim alloquimur; & quid ij ſentiant apertâ fusâque oratione percipimus. Percepit & guſtavit abundè Henricus conſuetudinem hanc, at ſatiatus eſt nunquam. Verùm de littera-

rum ejus ſtudio, hæc ſuffecerint.

Studium Orationis & pietatis.

10. Ad ſanctius ipſius ſtudium, Orationem tranſeo, quâ animam virtutibus impinguavit Deoque tantâ curâ ac ſedulitate conjunxit, ut nunquam ab eâ recedere videretur, ſed animo ſemper in Deum ſuſpenſus, cunctis appareret extaticus. Ne minimam quidem temporis particulam naturæ, obedientiæ, charitatiſque operibus neceſſariam, abſque eâ elabi permiſit. Hæc diu, noctuque individua ei comes erat. Non loca, non tempora, ad orandum præſtolabatur idonea; quilibet ei locus Oratorium erat: in cubiculo, in clauſtris, per urbem, in ipſo itinere, nunquam ab orationibus deſiſtebat. Continuus quippè & ſedulus animæ in Deum aſcenſus, jugiſque mentis recollectio, quævis loca & tempora orationi apta reddebat, ad puras ad Deum manus levandas. Siquidem tam recollecto per vias incedebat animo, ut credi poſſet Novitius jam primum in Ordinem admiſſus, ſemperque ferè in ſilentio, niſi *B. Virginis Mariæ* horas recitaret, vel de rebus ſpiritualibus conferret. Quippè nunquam os ejus benedictum à colloquiis divinis, & precibus ceſſabat. *Quando orabat, Deo loquebatur; quando litterarum ſtudio intendebat, Deus ipſi loquebatur: quando conſilium alicui vel doctrinam impendebat, de Deo propter Deum loquebatur*; ut meritò ei illud S. Paulini Nolani Præſulis ad S. Auguſtinum,

num, accommodaveris, *Os tuum fiſtulam aquæ viventis dixerim.* Epiſt. 31.

11. Porrò ſtatuta communis Orationis tempora, ita ſtudiosè obſervare viſus eſt, ut ea nunquàm intermiſerit, niſi ob infirmitatem, Prioratum, Provinciæ præfecturam, vel alia Ordinis munia publica (quæ ſæpiùs magnâ laude) obivit coactus. Haud enim ignorabat, Orationem communi lege ſancitam, cùm communis ſit omnium, majorem apud Deum vim atque robur nanciſci, adeoque ſine labe omitti non poſſe. Vix animo cogitari poteſt, quàm incredibili mentis pietate, quantâque religione horas ſemper Canonicas, laudeſque divinas ſit proſecutus. Cùm enim in his Sanctorum Angelorum & Dei maximè præſentiam attenderet, nullum planè cultum, honorem, religionem vel pietatem ſibi ſatis eſſe arbitrabatur, quibus Dei Majeſtatem coleret.

12. In Divorum ſolemniis, quantumvis prolixum foret officium, & tractim cantaretur, nunquam tædium ſenſit. Primus in Choro illis aderat, & poſtremus: cunctoſque Sodales ſuo exemplo & exhortationibus, ad hunc rerum divinarum cultum ſeriò provocabat. Juvat *Iordanum* (a) audire, virum ſanctum de Sācto ſibi optimè noto, ſed vitâ defuncto ſcribentem. Tantæ denique devotionis erat iſte Pater (*Henricus de Vrimaria*) quòd „ quan- „

(a) Lib. 2. Vitarfrat. cap. 19.

Digitized by Google

„ quandocunque orabat, erectâ cervice, eleva-
„ tâ facie, oculis ac manibus in cælum intentus,
„ totius corporis habitudine, ſuſpiriis, & la-
„ chrymis devotionis ſuæ dulcedinem redole-
„ bat. Horas quippe Canonicas diſtinctè &
„ moroſè cum plenâ expletione verſuum &
„ dearticulatione verborum premebat: ita ut
„ plerumque magis canere, quàm dicere, vel
„ legere videretur.

Singulis inſuper diebus præter horas Canonicas, etiam perſolvebat Officia *B. Mariæ* Virginis, *S. Crucis, Spiritus Sancti*, & *Defunctorum*, non curſim adinſtar canis venatici, ſed maximo veræ pietatis ſenſu; recitabat autem ea quotidie, non unâ dumtaxat vice, ſed ſecundâ & tertiâ: utque idem Sodales ſecum ſive in Cœnobio, ſive in itinere facerent, inducebat. Fatigabantur illi frequenter, ipſe nunquam: quos ut interdum relevaret, quemcunque fratrem ocio torpentem videbat, ad alternandam ſecum pſalmodiam advocabat. Dentium dolores ſæpius paſſus eſt maximos, ſodali queſtus ſemel; cui ille: *Quidni*, infit, *Pater? miror, non omnes excidiſſe, nunquam etenim os clauſum habes.*

Pietas & devotio in Sacrificio Miſſæ.

13. Ex quo die ordinatus eſt Sacerdos, in dies niſi invaletudine vel inevitabilis neceſſitatis caſu præpeditus, rem fecit divinam; non, ut exemplo peſſimo nonnulli, præcipitanter & quaſi aliud agens: non, ut unus ex iſtis, qui breves

breves ſeſe Miſſas, longas autem narrant, & gloriantur diligere cœnas; non oculis vagis, aut animo peregrinante, ſed altiſſimâ quâdam cordis in Deum erectione; quod fermè quotidie ſacro Confeſſionis remedio expiabat, quamquam nullius delicti in particulari ſibi conſcius eſſet. Sciebat enim vir prudens & devotus (verbis utor *Iordani* ex MMSS. radicibus Colonienſibus) *quod in Confeſſione* 2.p.Vitar. frat.cap.18. *non ſolùm ſordes peccatorum laventur, ſed & virtutes augeantur ac roborentur, & ſæpè non habenti gratiam, virtute illius Sacroſancti Sacramenti gratia conferatur. Et quis eſt, inquiebat, qui non omni die habeat aliquid ad confitendum? Saltem de officio, minùs benè dicto, de amiſſione temporis, de variis cogitationibus, de verbis otioſis, de judiciis & ſuſpicionibus falſis, de motibus iracundiæ & vanæ lætitiæ, de intemperantiâ cibi & potus, ac cæteris ſimilibus defectibus, ſine quibus hæc vita vix ducitur, etiam à perfectis.*

14. Confeſſorem autem ſemper eligebat virum aliquem maturum, prudentem ac doctum: neque ei curſim frigideque, ſed cum lacrymis detegebat errata, ac cum lacrymis pro eis Chriſto hoſtiam offerebat. Nectebat moras in accuſandâ, conſcientiâ de culpis, ut cor contritum meditatione ingemiſceret: protrahebat verba in celebrando convivio, quibus ſpiritus ſuaviùs refectus; vultu oculiſque ardentes ſenſus interiores oſtẽderet. Neque

que

Digitized by Google

que unquam ſacrificabat, niſi recitatis antè horis Canonicis, aliiſque peculiaribus pietatis ſenſus guſtui ſuo, ac inflammandæ pietati admodum opportunis; idque cum reverentiâ, extrinſecâ corporis ſubmiſſione, intrinſecâque animæ recollectione debitâ. Quemadmodum enim hi omnes actus ſunt religionis & cultus divini, ita totidem cenſebat eſſe media, quibus anima ſua cum Deo ageret, & immediatè verſaretur.

15. Ipſum verò Sacrificium tremendaque myſteria frequentibus, uberrimoque lacrymarum defluxu, mixtis ſuſpiriis atque gemitibus pertractabat: ea præſertim ſacri Canonis verba recitans, quibus præcipua Paſſionis Dominicæ beneficia recoluntur. Tunc enim eâ plerumque devotionis atque exultationis exuberantiâ perfruebatur, ut ſerenum vernanſque mentis gaudium in ipſius corpus redundaret, facies cunctis Seraphico rubore ac fulgore perfuſa, genæ inſuper uberrimis lacrymarum imbribus irrigatæ, apparerent. Totâ ſiquidem memoriæ vivacitate; intellectus acumine, præparatâ promptâque voluntate, corde elevato, nec non viribus expanſis, Deo inhærebat, eumdemque in intimo mentis fundo caſtis ſtringens amplexibus, unus cum eo ſpiritus fiebat, & Deus cum eo per omnimodam voluntatis, cunctarumque virium reſolutionem & annihilationem.

16. Porrò

Digitized by Google

16. Porrò conſtat aliquam-multos, qui rei divinæ intererant, ejuſque vultum contemplabantur, compunctos, atque ex cœno probriſque vitiorum ereptos, ad emendatiorem vitam reſurrexiſſe, ſordibuſque humanæ fragilitatis ſtabili pœnitentiâ ablutis in approbatis Religionibus culpas præteritas redemiſſe. Hos inter: *Adoleſcens adhuc mundanæ laſciviæ inſectator* (verbis utor (*a*) *Iordani Saxonis*, qui hæc ab eodem Adoleſcente audivit) *intra miſſam iſtius Venerabilis Patris* (*Henrici*) *compunctus, ad Religionis propoſitum tam ſubitò accenſus fuit, quòd mox finitâ miſſâ eidem Patri ſuum propoſitum indicavit. Quod & idem Pater, gaudenter promovit, & ad effectum mancipavit in quodam monaſterio* (*b*) *Cabinenſis Diœceſis, quod Graverende dicitur.*

(*a*) 2.p. Vitarfra.c.18.

(*b*) *MMSS. Colonienſis Diœceſis quod Greverende dicitur.*

17. A primâ ſemper adoleſcentiâ poſt amorem & cultum *Sanctiſſimæ Deiparentis*, ac *B. Auguſtini* Ordinis fundatoris, quos ſibi patronos adoptaverat, & in omni vitæ curſu duces elegerat, eximiâ proſequebatur devotione B. & glorioſam chriſtianam Palladem *Catharinam*, Virginem pariter & Martyrem Alexandrinam, cujus auxilium quotidie in moleſtiis, periculis, cunctiſque neceſſitatibus demiſſiſſimè invocabat. Erant autem ſacræ hujus Martyris Reliquiæ in præfati Monaſterij arâ eidem ſacrâ, quæ ſingulari Dei munere præteritis temporibus cæleſtia

dona

dona miraculoſè ſtillare, & quodãmodo germinare cõſueverant, lac videlicet, oleũ, aliumve humorem ſeu ſudorem admodũ ſuavem, ægris & malè adfectis ſalutiferum: ſed hæc occulto Dei judicio aliquam-multo tempore manare, & profluere deſierant. Cùm verò D. *Confeſſor* eò declinaſſet, pioque illo modo ad idem S. Virginis altare operans, ſacrum Miſſæ Canonem legeret: ecce; prædictæ Reliquiæ mirificos protinùs liquores abundè, uti priùs, ſtillare & ſcaturire cœperunt, cuncto populo ſpectante, mirante & obſtupeſcente. *Chriſtus* nimirum, ejuſque ſponſa lectiſſima *Catharinæ*, illuſtri hoc miraculo demonſtrârunt, & quàm ipſis grata foret devoti illorum Sacellani religio, quantáque ipſe cupiditate flagraret imitandi purpuratos Cæli cives, ac vitam ſanguinemque pro Chriſti fide atque amore fundendi, ſi occaſio fuiſſet.

Amor in Deum.

18. Hæc erat Henrici pietas, hæc devotio; quæ non niſi ex Dei amore proficiſcuntur. Quippè ex eo quòd anima proximè Deo conjungatur, illique uniatur (qui proprius eſt charitatis effectus) fit, ut dedat ſe quoque ſolicitè ac promptè ad ea quæ ad divinum ejus cultum pertinent: & lubenter incumbat in ea, quæ ad divinam venerationem ſpectãt. Cujus generis ſunt, ſacrificia, preces, ſacrarum litterarum lectio, rerum divinarum contemplatio, aliaque ejuſmodi opera, quæ à nobiliſſimâ

biliſſimâ & præſtantiſſimâ virtute, Religione, quæ mater eſt devotionis, dependent.

Deſideras in eo plura flagrantiſſimæ charitatis aperta indicia, argumentaque haud fallacia? *Hac ſunt*; (*Mathia* noſtro *Hirsbergio* aſſertore) *quòd vix, aut numquam reperias quempiam ſermonum ipſius, in quo vel fervorem charitatis, vel divini amoris dulcorem, itemq; fervidum diligendi Deum tum conatum, tumq; deſiderium non reperias.* Rurſumque amoris divini dulcedinem, ſaporemque intimum, & reliqua id genus, efficaciſſimâ diſſertatione, placido ore, & ſine dubio vehementiſſimo cordis amore frequentiùs, ſinceriúſve deprompſit; quæ non niſi ex flagranti charitate, divinaque dilectione proceſsêre: quia ſecundum *Auguſtinum*, lingua amoris, non *niſi qua amoris ſunt, novit loqui.*

Epiſt. Iſagog. Sermonibus de Sanctis præfixâ.

19. Vin' alia? Adnitebatur perpetuò cor ſuum Deo penitùs tradere, nihil conſectans aliud, nihilque deſiderans præter ipſum, neque pro alio quopiam quàm pro ipſo laborans; committebat ſuam voluntatem ipſius voluntati, purè deſiderans eam fieri, & expleri tam in ſe, quàm in rebus quibuſlibet creatis. Utque hujus divini amoris compos fieret, poſtulabat frequenter à Deo, conſiderans ſingillatim quidquid ad decorem & infinitam illius Domini pertinet bonitatem, nec non amorem ejus erga ſe ab omni æter-

 nitate,

Digitized by Google

nitate, innumerabiliaque beneficia, quæ ab eo acceperat, fueruntque hæc quaſi totidem ſuſcitabula ignea ad ejuſdem amoris ignem magis magiſque augendum & inflammandum. Vitabat ad hæc, enecabatque in ſe propriam voluntatem, reliquaque divini amoris impedimenta, quæ ex immoderato ſui ipſius amore oriuntur, ac turbare, vel impedire ſanctam devotionem poterant; qualia ſunt ſolatia omnia & laxamenta minùs neceſſaria, quæ ex rebus capiuntur terrenis, voluptas ex eſu aut potu quæſita: in ludis & hujus mundi recreamentis præſentia; librorum curioſorum aut vanorum lectio: profanarum fabularum aut dramatum ſpectacula; aliaque ejus generis, quæ ad ſenſus ſolummodò corporis extrinſecos cum vanitate recreãdos faciunt. Hæc omnia dictitans in Dei amore proficere volenti eſſe fugienda quaſi certiſſima venena peſteſque divini amoris veræque devotionis: cùm aut penitùs amorem Dei expellant, aut vehementer refrigerent, & ad faciendam ejus jacturam hominem diſponant.

20. Porrò ne prolixior ſim, præclarum ſui in Deum amoris ſpecimen dedit, in exactâ divinæ legis obſervantiâ, Regulæ, votorum, cæteriſque in rebus quas divinæ voluntati congruere noverat; & ſolicitâ quorumcumque criminum & peccatorum fugâ: primum quidem

quidem mortalium, quæ amori divino adverſantur, & ex animo eundem expellunt; adeò ut ſolus conſenſus adhibitus peccato mortali nos Dei gratiâ privet & charitate: deinde etiam venialium, quæ licèt non omninò nos amore & gratiâ Dei deſtituant, tepeſaciunt tamen; & ita debilitant animam noſtram, ut eam ad jacturam ejus penitùs faciendam diſponant. Uti enim divinè B. Gregorius Papa ſcripto reliquit: *Homo qui peccata minima flere ac evitare negligit, à ſtatu juſtitiæ, non quidem repentè, ſed partibus, totus cadit.* 3.p.Paſtor. admonit. 34. & 10. moral. c.9.

Ubi maturè velim expendas, (*qui peccata minima flere ac evitare negligit.*) Ut enim ſatis conſtat cultorem Dei, quantumvis religioſus ſit, & attentus, non poſſe ſe penitùs à venialibus vindicare, eis ſaltem quæ ſine deliberatione, & per incogitantiam committuntur; ita quoque manifeſtum eſt, iſtiuſmodi delicta animam in ſalutis diſcrimen non conjicere, niſi nimium ſocors fuerit in cavendo, aut diligens in emendando: ejuſmodi quippè negligentiâ adeò tepeſit & debilitatur anima, ut validâ & acri exortâ tentatione faciliùs in peccatum lethiferum præcipitetur; præſertim ſi juſto Dei judicio ob præfatam negligentiam & tepiditatem, illis auxiliis ſpecialibus & favoribus gratuitis Dei, & Angelorum ejus, privata fuerit, quibus indiget, ut in Dei amore conſervetur.

Nam quicunque in committendo veniali peccato nullum facit ſcrupulum; ſcienſque rem aliquam non eſſe peccatum lethiferum, eam facere non erubeſcit; non eam, quam habere par eſt, habet animæ ſuæ curam, neque fructûs ejus quem Domino ſuo reddere tenetur. Quapropter mirum non eſt, ſi ſpeciali Dei auxilio, Angelorumque cuſtodiâ deſtituatur & relinquatur debilis, æger, ac jam inclinatus ad labendum in mortiferum peccatum, & ad faciendam tanti theſauri, divini, inquam, amoris jacturam.

21. *Henricus* attentus admodum erat, & diligens ad evitanda pro virili omnis generis peccata venialia, firmiter tenens, peccatum quodvis offenſam Dei eſſe, ejuſque divinæ voluntati adverſari: cumque timor Dei, intellectum illius acueret ad Dei judicia, juſtitiamque conſiderandam, diligenter attendebat ſibipſi, penituſque ſe penetrabat, nec non peccata etiam minima accuratè inquirens, deprehendebat; quantoque Deum ardentiùs diligebat, tantò ſolertiùs offendere cavebat, ſanctâque ſolicitudine rectè ambulandi cum Deo, ejus unam voluntatem omnibus in rebus tanquam vitæ curriculi Cynoſuram contemplabatur. Si quidem (ait Salo-
Eccli. 2. 19. 20. mon) *Qui timent Dominum, inquirent quæ placita ſunt ei; præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Hinc diu no-

ctuque

Digitized by Google

ctuque nihil aliud cogitare, ſomniare, loqui, niſi Deum, & de Deo; magna ſemper pro ejus gloriâ perpeti & præſtare: cunctaque ad ejus laudem & gloriam dirigere, maximamque ex offenſis Deo illatis moleſtiam dolorem que percipere.

22. Quantum animæ ineſt charitatis & amoris Dei, tantum ineſt charitatis & amoris erga proximum: quantumque in ea Dei amor creſcit, tantum & proximi. Idem quippe habitus (vt loquuntur Theologi) quem Deus animæ infundit, vt homo Deum diligat, eundem inclinat & movet ad diligendum proximum. Et verus amor proximi eſt, quo propter Deum, & uti creatura ad Dei imaginem creata, amatur; & vt Deus eum vult & jubet amari. Ideoque, quò anima Deum plus diligit, eique placere, & divinam ejus voluntatem exequi deſiderat; eò quoque plus proximum diligit, ſolicitiuſque, ejus bonum procurat: quandoquidem intelligat, ſi id fecerit, ſe Deo gratiorem exiſtere, & divinæ ejus voluntati perfectiùs conformari. Idcircò benè Apoſtolus: *Qui diligit proximum, legem implevit*: &, *plenitudo legis, eſt dilectio* proximi. Qui enim diligit proximum in Deo, & propter Deum, Deum ipſum indubiè diligit; diligens Deum, & proximum, nihil faciet Dei voluntati aut bono proximi contrarium: atque ita totam legem adimplebit. Rom. 13. 9. 10.

23. Adimplevit probè *Henricus*, ſiquidem cùm Dei amore excelleret, in amore proximorum eximius fuit; & quoties res & occaſio ita ferrent, facinora multa egregia pro ijs perpetravit: & quò ſanctitate atque amore erga Creatorem & Salvatorem major extitit, eò etiam charitate & amore proximorum fuit admirabilior. Atque idcircò quamquam ipſius erga Deum amoris permulta habeamus argumenta, qualia ſunt exercitia Orationis, devotionis, plurimaque alia jam memorata, quibus declarabat ſe animam Deo dedicaſſe, ſeſeque peccata quævis, amoremque proprium abominari: inter exercitia tamen extrinſeca & ordinaria virtutum, certiſſimum veriſſimumque ſui amoris in Deum documentum, erat vehemens & ſincerus amor in proximos propter Deum, & in Deo. Hic etenim actus cum Dei amore eſt conjunctiſſimus, atque ex eadem radice, eodemque virtutis habitu procedit; & licèt amore Dei multò ſit ignobilior, hunc tamen complet ac perficit, S. Ioanne aſſertore: *Si diligamus invicem, Charitas Dei in nobis perfecta eſt.* Vnde manifeſtum fit propriam præcipuamque Actionem charitatis erga proximum, eſſe, diligere illum propter Deum, vt in Deo ſit, æternumque beatè vivat: *quemadmodum Chriſtus*, teſte *S. Auguſtino*, *nos diligit, vt regnare poſſimus cum Chriſto.*

1. Ioan. 4. v. 12.

Tract. 83. in Ioan.

Hunc

Hunc *Henricus* amorem in eo comproba- *Opera miſericordia.*
vit, cùm quotidie re ſacrâ precibuſque, quas
poſt eam Deo ſolvere conſueverat, peractis
ad Cœnobij, in quo morabatur, Noſocomiũ
inviſeret: permagnâ curâ diligentiâque In-
firmorum pulſus tangeret, urinas inſpiceret,
aliaque ſanitatis, vel ſubſecuturæ mortis
prognoſtica, diligenter exquireret, ſuisque
ipſe manibus eſcas, ac diverſi generis, juſcu-
la, ova, pulmenta hordeacea, amygdala,
aliaque neceſſaria iuxta Medicorum præ-
ſcripta non præpararet dumtaxat, ſed etiam
graviùs laborantibus in os inferret.

24. Exhibuit præterea fraternæ charitatis *Spiritualia.*
documenta, alterum ſpiritualis eleemoſynæ
cibum brevi exhortatione, ac religiosâ ala-
critate ſubminiſtrando, quâ illos adjuvabat
actus fidei, ſpei, atque amoris Dei ſuper om-
nia, purè, ſincereque elicere; ſingulari cum
amoris ac charitatis ſuavitate ipſos ad patien-
tiam exhortando, ad pietatem accendendo,
vultuque jam ad hilaritatem, jam ad com-
miſerationem verſo, conſolando, ſpem ad-
dendo, blando ſermone mulcendo, atque ſi
vſpiam, hîc certè Patrem ſe, ac matrem
exhibendo. Quam ob rem infirmi cum *Hen-
ricum* Valetudinarium intrare adverterent,
Angelum è cælo, ad ſuam ipſorum ſalutem
atque ſolatium, venire arbitrabantur. Nove-
rat *Henricus Christum* quem diligebat anima

 ejus,

Digitized by Google

ejus, in Infirmariâ jacere, anguſtiari, torqueri; feſtinabat ad eum, infirmanti compatiens, adflictoque ferebat opem, clemens manu, ore, & opere: memoriâ repetens
Epiſt. 79. illud Senecæ, *multum mihi ad bonam contulerunt Valetudinem amici, quarum adhortationibus, vigiliis, ſermonibus alleviabar. Nihil æquè ægrum reficit, atque adjuvat, quàm amicorum affectus: Nihil æquè expectationem mortis, ac metum ſurripit.*

Corporalia. 25. Fuit inſuper hujus charitatis, & fraterni amoris præclarum ſpecimen, cùm ille potiones, pharmaca & edulia quæ ipſi ægroti exhorrebant & averſabantur prægustaret & præſumeret, eorum lintea purgaret, lectos ſterneret, variaque alia erga gravi morbo ægros dilectionis obſequia exerceret. Charitas certè *Henricum* impulit fratres valetudine infirmiores inviſere, conſolari, præſentiâ ſuâ exhilarare, adminiculari, & quibuſcumque in rebus opus foret, famulari. Charitas effecit, ut non contentus fuerit eos vidiſſe, viſitaſſe, conſolatos fuiſſe, aut quælibet eſculenta & poculenta eis neceſſaria præparaſſe, niſi etiam nutricis adinſtar hæc in os eorum ingereret, pharmaca denique prælibaret, quò vel ſic libentiùs ſumerent quæ miniſtrabantur, elueret lintea, lectos accommodaret.

26. Jam verò quis ejus in infirmitatibus maximè contagioſis curandis diligentiam,

amorem

amorem & labores, dignè eloqui aut pro merito recenſere valeat? In Monaſterio ubi vir Sanctus morabatur, religioſus quiſpiam gravi adeò fœdoque corporis vitio laborabat, ut cunctis commilitonibus eſſet horrori. Cum illo nullus cibum ſumere, bibere nemo, vel ei adſidere audebat, Elephantiaſim rati. Superiorum jam decreto à reliquis ſequeſtrandus erat miſer, ne Sodales, ejus conſortio inficerentur. *Henricus* commodum ſibi tempus oblatum cenſens, varios exercendæ fraternæ charitatis, propriæque mortificationis actus; ſancti amoris oculis non tam miſellũ, quàm veram Domini JESV-CHRISTI perſonam in eo deliteſcentem conſiderans, ipſum complexus, caput capiti, os ori perinde conjungit, ac ſi ipſum Chriſtum amplecteretur. Illum deinde ad aliquot ſibi dies relinqui, quò fervori ſuo ſatisfaciat, rogat, impetratque. Interea curam illius habet, unguentis & medicinis, ſed maximè vi precum ſuarum ad Dominum ardentiſſimè fuſarum, ipſum curat, in publico fratrum Cœnaculo apud ſe collocat, illius, ex paropſide comedit, eodemque ex cratere bibit. Sicque factum eſt, ut quem Religioſi priùs exhorruerant, averſatique fuerant, deinceps acceptum, gratum, ac peramabilem habuerint. O virum planè fortem! O animum humano celſiorem! O admirandam charitatem!

Charitas erga lepro-ſum.

 27. Haud

Erga Animas in purgatorio.

27. Haud minori charitatis ardore proſecutus eſt pias Animas in expiatorium carcerem à morte miſſas, quas certò ſciebat nullo modo ſeſe juvare, nec inde exire poſſe, niſi
Luc. 12. noviſſimo etiam quadrante ac minuto reddito. Ut igitur illas vindicibus flammis eriperet, & privatas Deo, pro illis preces, & jejunia, Miſſarumque Sacrificia, maximo pietatis ſenſu frequentiùs obtulit, ſæpiuſque in die, Defunctorum Officium reiteravit, atque Sodales ut idem facerent, induxit. Ad hæc, crebriùs flagellis in ſeipſum deſæviit, acerbiſſimiſque pœnis ſpontè ſuſceptis Deum Animabus propitium reddidit, cæteraque pietatis opera, & quidquid in ſuis operibus ſatisfactorium erat, Animabus in Purgatorio detentis ingenti adfectu tranſſcripſit: certò certiùs habens cuncta prædicta compēdio creſcere, cùm Animabus Dei ſponſis gratiſſimis, ſed in mediis adhuc flammis ſatisfacientibus, offeruntur. Quippè ſi in opere quopiā contempleris *meritum*; ad *meritum* cujuſque actionis, adjicitur hîc meritum Charitatis plurimo ex capite nobiliſſimæ. Si *Satisfactionem* attendas, vicem vulgaris *ſatisfactionis* alicujus operis, in Animas trāsfuſæ, ſubit *Satisfactio* amoris impenſi, qui variis de cauſſis, priore multò uberior eſt. Si verò ſpectes *Impetrationem*; dabitur beneficiorum adfluentia in vita; in morte ſecuritas: à morte pœnarum immunitas,

Digitized by Google

tas, quam divina ſpondet clementia atque promiſſio; Cælitum favor: & grata mens Animarum, quæ nunquam benevolæ vivorum munificentiæ ſibi exhibitæ obliviſcentur in cælo, quemadmodum etiam in acerbiſſimis adhuc ſuis tormentis, auxiliatorũ ſuorum memores extitêre & vices rependêre. *Henricus* igitur, non vanam hanc curam curavit.

28. Porrò cùm totâ vitâ Beato viro nihil fuerit jucundius, nihil antiquius, ſanctiuſque nihil, quàm in proximorum ſeſe utilitatem effundere, cunctiſq; verbo, ſcripto atque opere prodeſſe: maturâ jã ætate talentũ quod ei natura dederat, induſtriâque auxerat ac ornârat, in terram non defodit, ut à communi hominum uſu (quod ſolent avari) excluderet, ſed quidquid ſuis laboribus invenit ad virtutis ſtudium excitandum utile, id omne priùs ad animæ ſuæ ſalutem, in pectoris theſauro repoſuit, deinde ad fructum in Dei populo faciendum, ſuo tempore deprompſit è cathedra aliis prælegendo libroſque ſcribendo, atque magnâ eloquentiâ, majori doctrinâ, ſed longè maximo virtutis zelo è ſuggeſtu frequenter & ferventer verbum Dei ad Clerum Latinè, ad populum Germanicè prædicando. Vitia ſeverè vehementique ſpiritus ardore reprehendit, ardentiores ad virtutis ſtudium ſtimulos addidit, nec non ea quæ ad divini

Cunctis verbo, ſcriptis, opere prodeſt.

Fructus Concionum ejus.

divini honoris cultũ ſpectant diligenter promovit. Eratque ei tanta oris facundia ut vix illi, etiam præſtantiſſimo Eccleſiaſtæ primas
Iſaiæ 58. 1. cederet. *Clamavit, nec ceſſavit quaſi tuba exaltans vocem ſuam, annuncianſq; populo ſcelera eorum.* Quamobrem à pleriſque non immeritò dictus eſt ſui temporis Eccleſiaſticæ dictionis *Tullius*, Theologiæ *Homerus*, rationum fidei *Ariſtoteles*, & *Paulus* in Chriſtiano populo diſſerens *redivivus*. Sic demulcebat, ut vinctos quaſi Auditores teneret; ita docebat, ut divinis ſenſibus aures impleret: ita exhortabatur, ut virtutum ardoribus animos inflammaret.

29. Quis enarrare ſufficiat, quot ille ſceleratos & impios homines ex vitiorum cœno, & ipſis inferorum faucibus extraxerit? Quot obſtinatos ad ſcelerum ſuorum cognitionem adduxerit? Quot ſæculi vanitatibus inſatiabiliter deditos, ad earum contemptum revocârit? Quot cælitùs vocatos per virtutis iter direxerit? Quæ vitia ex *Germania* & *Bohemia* civitatibus ac Provinciis eradicaverit? Quantam denique multitudinem adeò divini amoris facibus inflammârit, ut deſpectis omnibus hujus vitæ deliciis in ſacrarum ſeſe Religionum Cœnobiis recluſerint, Angelicamque in humana carne puritatem ſectati fuerint?

30. Certè *ſi doctrina ipſius dexteritatem recto*

rationis

Digitized by Google

rationis oculo intueri velis, audeo dicere (inquit noſter *Mathias Hirſchberg*) *quòd ſtylo ſuavi mediocriter* (*faſtus tumore, curioſitatis vitio, inaniſq; gloria ſemotis*) *ornatè ſatis, ut par eſt, & diſertus incedit; modò depreſſo, jamq; mediocri, modò item grandi dicendi genere diſcurrens, peccatoribus antidotum ſaluberrimum ingerit: incipientibus blanditur, proficientes hortatur, divinam verò ſapientiam redolet inter perfectos. Denique in peregrinarum ſententiarum expoſitionibus reperitur acutus, & nimis admirandus; ut jure illi aptetur, quod Iob* 28. *cap. v.* 10. 11. *exaratum eſt: Omne pretioſum vidit oculus ejus, profunda quoque fluviorum ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit.*

Doctrina dexteritas. Epiſt. Iſagog.

Iob 28.

31. Adſcribo & ego huic Ter-docto, & Illuſtri viro; quod in ſacris litteris in Be-ſelelis laudem ponitur: *Ecce, vocavi ex nomine*, ſpeciali electione ac nominatim *Be-ſele-el, & implevi eum ſpiritu Dei, ſapientiâ & intelligentiâ*, & ſummâ *ſcientiâ in omni opere, ad excogitandum* & faciendum *quidquid* rarum *fabrè fieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum.* Etenim ſatis conſtat *Henricum* tanquam alterum *Be-ſeleëlem* & Architectum in *Eremitana Religione ſub Dei umbra & protectione conſtitutum*, à Deo nominatim vocatum & ſpiritu Dei impletum, ſapientiâ item ſummâque ſcientiâ ad excogitandum, ſcriptiſque libris docendum cujuſvis conditionis perſonas, methodū conſtruendi

Exodi 31. 1. & 2. *Be-ſele-eli collatus.*

Digitized by Google

conſtruendi ſuper Chriſtianæ fidei fundamentum eximiæ cujuſdam artis & operis tabernaculum, hinc auro argentoque ſelecto, inde marmore porphyretico & pario nobile, gemmis quoque lapidibuſque pretioſis exornatum: ita vocanti Deo obediviſſe ſibique datâ ſapientiâ uſum, ut priùs ſeipſum verum vivumque Dei Tabernaculum reddiderit, deinde linguâ manuque alios, & divinitatem impetraverit. Quippè, ſi fas ſcribendo, imò

Si fas vivendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Huic ſoli Cœli maxima porta patet.

Ità dico, ſcribendo, & vivendo. Tales enim *Henrici* mores, quales libri; tale exemplum, quale dogma: ut ſcripſiſſe moribus, vixiſſe libris, docuiſſe exemplo, præiviſſe dogmate ad honeſta omnia videatur. Præclarum me-herculè, bonum eſſe, doctum eſſe; ſed præclariſſimum alios facere, cùm ipſe fueris. Uterque fuit *Henricus*, & utrumque fecit.

Invitus ſuis præficitur.

32. Proinde nihil mirum, quòd *Provinciæ Saxoniæ* Patres virum beatum vel reluctantem ad Cœnobiorum primò gubernacula vocârint, deinde ad totius *Provinciæ* Præfecturam, ut pervetuſtus *Codex MS.* Monaſterij noſtri *S. Thomæ Pragenſis* habet. Cùm igitur ſe captũ ad præfecturas vidiſſet, neque ſine periculo eas fugere poſſet, tũc animo magno & excelſo, tantâ cum prudentiâ ac dexteritate guber-

nacula

nacula ſuſcepit, ut antiqua illa Monaſticæ vitæ diſciplina ab Apoſtolis & *Magno Patriarchâ Auguſtino* conſtituta, ad priſtinum ſplendorem revocata videretur. Namque totis viribus eam in rem incumbebat, non modò ut commiſſum ſibi gregem in officio contineret, ſed ut arduam virtutis viam, cunctoſque labores pro Chriſti gloriâ animarumque ſalute ſuſceptos, leves jucundiſſimoſque ſentiret. Ad mundi contemptum, laborumque omnium tolerantiam, dictu mirum, quàm admirandis eos ſermonibus excitabat, prorſus ut illius diſcipuli inflammatis ad ardua quæque animis ruerent, nulliſque difficultatibus à ſummo perfectionis ſtudio impedirentur. *O quàm pulchra tunc erant tabernacula tua Iacob! Quàm illuſtris pietatis ſpecies ad aliorum emendationem ex vita Religioſorum moribuſq́ lucebat!* Ea profectò erat in Monaſteriis illius pietatis facies, quæ ſolo ſui aſpectu facilè quoſvis ad virtutis amorem provocabat. Neque ſolùm pietas hæc intra Monaſteriorum fines clauſa tenebatur: ſed per omnia Imperij regna radios longè lateque ſpargebat, præclaramque Ordini famam conciliabat. Et ubicunque ſalutem alicujus periclitari vir ſanctus audiebat, illuc virtutem ſuam exerebat, ſummiſque viribus importunum animarū hoſtem ſubmovere nitebatur. Prælatus erat verè Apoſtolicus, *omnibuſq́ omnia fiebat,*

Pietas inſignis in Monaſteriis.

1. Cor. 9. v. 22. *fiebat, ut omnes Chriſto lucrifaceret.* Ipſos pueros familiariter docebat; viam virtutum perfectis & imperfectis, parvis æquè ac magnis, viris & feminis, ſæcularibus & Deo conſecratis, doctis pariter & indoctis monſtrabat.

33. Hiſce omnibus permotus Reverendiſſimus P. M. F. Alexander à S. Elpidio Univerſi Ordinis noſtri Supremus Princeps, eum in Generali Ordinis Conventu anno 1318. habito Arimini Religioſorum per totam Germaniam & Saxoniam ad ſtudia promovendorum examinatorem conſtituit, uti etiam Pro-Generalem Saxoniæ & Germaniæ, ut me docuêrunt *Acta Capituli Provincialis Saxoniæ* anno 1320. celebrati in Monaſterio *Porta-Calano* vulgò *Himmelſport* juxta *Werningerodam*, duobus milliaribus Patriis *Halberſtadio, & Quedelinburgâ* diſtante: illique *Capitulo Henricus* tanquam Vicarius Generalis interfuit & præſedit. Ut latiùs oſtendam in Chronologia ad præfatum annum 1320. Henricus quoque *tractatu de Origine Ordinis* noſtri, anno 1334. ſcripto, teſtatur ſe cum BB. *Auguſtino Terano, Ægidio Columnio Romano, &c.* interfuiſſe *Comitiis Ordinis Generalibus* anno 1290. 12. *Calend. Iulij Ratisbonæ*; & decennio poſt *Neapoli* habitis, ut in vita *B. Auguſtini Novelli* dixi nu. 30. aſſeritque *B. Clementem de Auximo Ordinis Generalem* in Ratisbonenſibus, plurima operatum miracula, ſe præſente.

34. Cun-

34. Cunctas haſce dignitates altâ ſemper decoravit humilitate, quâ in toto Superioris ornatu, nulla gemma ſplendidior, & citra quam omnis virtutum congregatio, ſi qua eſt, velut abſque calce arena eſt. Talem quippè ſe ſubditis præbuit, ut in eo iſtud Dominicum videretur impletum: *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor, ſicut miniſtrator.* Solerter interim juxta *S. Gregorij Magni* monitum intuens, *ne dum immoderatius cuſtodiret virtutem humilitatis, ſolveret jura regiminis, & dum plus ſe quàm decet dejiceret, ſubditorum vitam diſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſet. Tenebat ergo exteriùs, quod pro aliorum utilitate ſuſceperat; ſervabat interiùs, quod de ſuâ æſtimatione pertimeſcebat.* Quibuſdam tamen ſignis decenter erumpentibus, eum apud ſe eſſe humilem etiam ſubditi deprehendebant, quatenùs & in ejus auctoritate quod formidarent, videre; & de humilitate, quod imitarentur, agnoſcere valerent. Cùm autem *S. Ambroſio* aſſertore, *prima humilitatis ratio in communis vitæ verſetur officiis*, ut ſecundum doctrinam Apoſtolicam invicē ſe homines honore præveniant: *Henricus* non illis tantùm, qui ætate erant majores vel æquales, honorem exhibebat, ſed eos quoque venerabatur, qui illo videbantur magis indigni, nullumque ſe arbitrabatur minorem, ſed ſeſe ſuperari ab omnibus. Etenim nihili ſe æſtimabat, ſeque ipſum

Humilitas ejus interna.

Luc. 22. 26.

2. p. Paſt. cap. 6.

Epiſt. 84. lib. 1.

Nihili ſe æſtimat.

ſum ex animo contemnebat, & ab omnibus deſpici amabat; ſui ſcilicet pretium metiens eo, quod ex ſe habebat nihilo, ex quo Deus eum procreârat: & eo quod fecerat, aut ſanè feciſſet, niſi Deus præcipuo quodam favore, manuque potenti ipſum præſervaſſet; quod indubiè fuiſſet infinita vis criminum & flagitiorum. Quocirca & ſe deterrimum totius mundi cenſere homuncionem, Deoque tanquam mancipium Domino vel tanquam teſta figulo ſubjicere, ut de ſe, ad ſuum beneplacitum ubique diſponat, eum ſummè diligere, eique gratias pro infinitis, quæ à liberaliſſima illius manu receperat, beneficiis, grateſque ex animo agere quàm maximas, uti etiam *gratiæ ipſius*, cum Sanctiſſimo parente *deputare, quæcumque non fecerat mala.* 2. Conf. 7.

35. Quærit Sanctiſſimus noſter *Archi-Doctor, Quid eſt humilem eſſe?* Reſp. *Nolle in ſe laudari*: proprium eſt humilium animorum, neque honorem, neque laudes hominum aucupari ex dignitatibus, dotibus, gratiis, quibus eos Deus eſt impertitus; *qui in ſe vult laudari, ſuperbus eſt*, inquit *Auguſtinus*. Tantum enim abeſt, ut humilis conſpici, laudari aut æſtimari quærat: ut ſupplicium potiùs inenarrabile & tormentum ſubeat, cùm honoratum ſe videt. Ipſiſſimam humilitatis effigiem *Henricus* affectu pinxit, moribus expreſſit. *Pariſiis* à Senatu Academico S. T. Doctor & Profeſſor.

Aug. Serm. 2. in pſal. 33

Laudibus non extollitur.

Digitized by Google

ſor, ſalutatur; à ſuis diverſis locis ſtudiorum *Regens* conſtituitur: Sodales eum diverſis primum Cœnobiis, dein, toti Provinciæ *Præſidem Provincialem* unanimis ſuffragantium votis eligunt; *Generalis* totius Ordinis Moderator ſuum in *Saxonia* & *Germania Vicarium* dicit; doctis concionibus, eruditis ſcriptis & lectionibus, acutis & ſubtilibus diſputationibus, magnum apud omnes nomen acquirit: *Henricus* iſtis honoribus laudibuſque non extollitur; neque pluris propterea ſeſe facit; nullum indicium edit vel delectationis vel adfectionis, ſed obſtupeſcit, contremiſcit, erubeſcit, dolet, imò honoribus ipſis torquetur, & dignitates vice purgatorij habet.

36. Ad hæc humillimè ad Deum converſus, lumen, conſilium, gratiam à Deo depoſcit, quid ſibi, & qualiter faciendum ſit, ut integrè ſe ſanctæ ejus voluntati conformet, muniaque ſibi impoſita obeat. Addebat & hiſce aliam actionem intrinſecam humilitatis & quidem primariam, nempè, quòd bona omnia, cùm naturæ, tùm gratiæ munera, quibus præditus erat, Deo, uti ſoli origini ac fonti cunctorum bonorum, accepta referret, omnemque honorem & gloriam qui ex iis manere poſſet, nulloque modo ratione officiorum vitare valeret, ejus gloriæ & auctoritati adſcriberet: apertè profitens Deum eſſe, qui & in ipſo, & per ipſum cuncta bene- *Deo quævis bona accepta refert.*

 facta,

Digitized by Google

facta, ſanctas cogitationes, & deſideria, omniaque bona tam extrinſeca, quàm intrinſeca efficeret. Ideoque omnem ei honorem rependebat, continenti quodam deſiderio flagrans, ut Deus in omnibus rebus creatis, & per eas laudaretur & amplificaretur: ipſe autem à cunctis deſpiceretur & flocci fieret.

Humilitas externa.

37. Actus humilitatis extrinſecos, ex intrinſecis naſci, & eſſe quædam veluti argumenta & teſtimonia humilitatis cordis in iis hominibus, qui in veritate coram Deo ambulant, nemo non novit, niſi qui nihil novit. *Henricus* noſter quò magis ſcientiâ & authoritate apud ſuos emerſerat, tantò humiliùs & demiſſiùs ſe habebat, eoq; magis in variis externæ humilitatis actionibus ſeipſum exercebat. Neque enim Superioribus & Majoribus juxta cujuſque perſonæ dignitatem deſerviebat, ſed ipſis Contubernalibus ſibi famulantibus, non rarò inſtar ſervi calceamenta detrahebat, manibus tergebat & diluebat, bono promptoque animo veſtimenta eorum aptabat, & per iſtos humilitatis actus, inflatos ſæpè inferiorum animos, ad veræ humilitatis ſtudium, humanæque vitæ cognitionem, mirâ dexteritate provocabat: aſſerens profundam humilitatem, in quovis vitæ ſtatu, ſed præſertim ſublimiori eſſe ornamentum notabile, & teſte Bern. *Conſummationem juſtitiæ in humilitatis perfectione conſiſtere.* Quare etiam

Serm. 47. in Cant.

iam Sodalibus ipſum prohibere conantibus, ſæpiùs dicebat: *Sine modò, ſic enim decet nos adimplere omnem juſtitiam.* Nolim hac in re longior eſſe: præclara enim ſummæ humilitatis ſpecimina ſe prodiderunt ſuprà num. 23. 24. 25. & 26. Nam quemadmodum illa certiſſima fuêre indicia charitatis, ita quoque profundæ fuerunt humilitatis.

38. Et verò dum *B. Confeſſor* pergit ſeſe hiſce charitatis & humilitatis actibus perfectum reddere, viſum eſt divinæ miſerationi, quò ſervum ſuum tanquam aurum in fornace perficeret, perpurgaretque, quoque illi guſtanda, ſaltem ex parte, verba iſta *S. Pauli* propinare: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* viſum, inquam, eſt divinæ miſerationi acerbiſſimis illum & acutiſſimis renum, veſicæ, calculique, qui familiares Doctorum hominum morbi ſunt, exercere doloribus, totque illi in renibus calculos procreare, ut nonnullos cum extremo cruciatu, eâ craſſitie quæ olivæ oſſiculum excederet, frequenter extruderet. Hanc crucem ſolido ſuſtinuit biennio, eoque amplius. Ex qua id hauriebat utilitatis, quod eam propterea à Domino ſibi judicaret paternè inflictam, in expiationem peccatorum nondum fortè per pœnitentiam plenè deletorum, maximè ſi in juventute ex aliqua forſan humanæ lubricitatis petulantia illis in partibus illicitè delectatus fuiſſet; & ut ad- *Biennio acutiſſimos renum, calculiq; dolores.*

moneretur Deo potiùs ſummo corporis cruciatu & afflictione ſerviendum, quàm aliquo delectationis ſenſu: quod ipſe dictitabat, *Indicem eſſe divini amoris, certumq; divinæ miſerationis ſignum.* Quamobrem *vir Beatus* propter aſperrimos corporis cruciatus, nunquam ſolita ſtudia, S. Scripturæ lectionem, orationes, conſueta charitatis & humilitatis opera, conſilia Ordiniſque ſollicitudines intermiſit: ſed quantò dolores experiebatur intenſiores, tantò quoque prædictis vacavit intenſiùs, quamdiu movere ſe potuit.

Infracto animo patitur.

39. Pertulit ipſos dolores adeò forti animo, ut vultus illi tranquillus ſemper fuerit, & placidus, frons pura nullâ mœroris rugoſitate contracta: remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris & innoxiis. Quòd ſi natura ſuo impetu quandoque inadvertenter erumperet in ſuſpirium, cruciatuum ac moleſtiarum teſtem, ipſius ille imbecillitatem reprehendens, pro cunctis doloribus gratias Domino agebat, enixè rogans ut centum, ſi placeret, adderet, idque ſibi fore gratiſſimum, *ut affligens ſe dolore non parcat*: Siquidem ſanctæ illius voluntatis adimpletionem, ſuam eſſe conſolationem. Sodales proinde hæc audientes, & videntes *Henricum* tanquam alterum Jobum arbitrabantur, *cui cùm languor*

Iob 6. v. 10

creſceret

Digitized by Google

creſceret carnis, creſcebat ſimul & vigor mentis. Clamabat propterea ſæpiùs ad Dominum: *Iuſtus es Domine & rectum judicium tuum: hîc ure, hîs ſeca, ut in æternum parcas.* Solebat etiam ſæpiùs facetè dicere, ſe navem eſſe, quam divina miſeratio benè ſaburrârat, lapidibus, calculis & arenis, ut eis ſtabilitus, per tempeſtuoſum hujus mundi mare, ad æternæ vitæ portum tutiùs perveniret. Frequentiùs quoque hæc S. Patris ſui verba in ore habebat, *talem me* Domine *reddas, cui emendatorio igne non ſit opus.*

Pſal. 118. v. 137.

Aug. in pſal. 37.

Plantam parvam ſed elegantem, quæ *Roraria* dicitur, in ſabuloſis ac udis locis, ſilviſque umbroſis provenientem, ferunt, quantumvis etiam æſtate ardentiſſimis ſolis radiis ſit expoſita, nunquam tamen in foliis, quæ cava ſunt inſtar puſilli cochlearis, roſcido quodam humore deſtitui, eorumque lanuginem admodum teneram, guttulis quibuſdam pellucidis, ſemper madere, unde etiam nomen ſortita eſt, ut Rorem ſolis ac Rorariam recentiores nuncuparint. Illuſtris hæc *Henrici* imago, cum in ſummis æſtibus ac caloribus calamitatum & afflictionum nunquam flacceſcere aut ſuccumbere, cùm ex ſacratiſſimis verbi divini fontibus, fideique, ſpei ac charitatis penu vividum ſemper ac roſcidum ſuccum quo ſuſtentaretur & recrearetur hauriret. Unde meritò noſter cecinit *Baxius:*

Digitized by Google

Dum gravis affectos morbus ſaviret in artus,
Vitaq́ jam fugeret victa dolore gravi,
Conſtitit Henricus *gaudens, cauſſamq́ rogatus,*
Iam mihi vicinum ſentio Numen, ait.

Paralyſim linguæ.

40. Duos & amplius menſes ante obitum, aliâ quoque eum Dominus miſeratione (ſic enim bonus Pater ſuas ſolebat infirmitates appellare) è cælo beavit, paralyſi ſcilicèt linguæ, ut à nemine intelligi poſſet. Cùm ſic adfectus decumberet, contigit Priorem Provincialem ſui Ordinis eum inviſere, & ad conſtanter quævis perferenda adhortari; ſperare ſe, hanc paralyſim benignè à Deo immiſſam, quò fumus vanæ gloriæ, ſi quis forſan cordi ejus ob ſummam eloquentiam, quâ cunctos totius patriæ Concionatores ſuperàverat, irrepſerit, ante vitæ finem expietur, animæque carne exutæ, nihil vlteriùs, quod purgetur remaneat. Quæ vir Dei audiens, totus in lacrymas ſolutus, ſignis nutubuſque, ſe eadem ſpe niti, ſatis innuebat.

Viſitatur à multis.

41. Porrò diſperſâ ingraveſcentis morbi famâ, multi partim religioſi, partim ſæculares ex omni Ordine, ſtatu, dignitate, ad ipſum viſitandum confluentes, non mediocriter venerando Senis aſpectu, invictâque patientiâ, ſpiritu recreati, flexis plerumque coram illo genibus, ejuſque manu humiliter exoſculatâ, benedictionem depoſcebant: & ille quamdiu loqui potuit viciſſim ipſorum, ſubditorumque

que

Digitized by Google

que preces, ut ſecurum poſſet habere mortis tranſitum. Nominatim frequens illum inviſit R. P. N. N. ſacri Ordinis Fratrum Minorum S. Theol. Magiſter *Henrico* ob virtutum doctrinæque ſympathiam ſummo amore conjunctus, qui cum in Inferiis defuncti oraret inter cætera retulit: *Et nos ſæpius viſitavimus eum in lecto ægritudinis ſuæ, & vidimus eum ſicut Angelum Dei, rubebant enim genæ ejus vſque ad exitum animæ ſuæ roſeo colore, ita ut rubor faciei, fulgorem indicaret mentis, cum longo tamen languore extenuatus fuerit, & exhauſtus.*

42. *Appropinquante* obitus horâ, quaſi eam præſagiiſſet, Chriſtiano admodum ſanctoque pectore ſe ad illam accinxit: totuſque in precibus ac divinarum rerum meditationibus, uberrimas nunc fundens lacrymas, nunc oculos ad cælum erigens, aut picturam Chriſti Crucifixi contemplans, pectuſque tanquam peccator peſſimus durè tundens, animam cæleſti gloriæ (ut apparebat) per actus veræ contritionis aptabat. Contubernales interim ſentientes ipſum continuò magis magiſque deficere, ſollicitè pro Chriſtiano atque Catholico ritu Sacramenta ſalutis illi adminiſtrari curarunt. Confeſſione verò generali Sanctiſſimorum participationi Sacramentorum à fratribus præmiſsâ (ille enim propter paralyſim loqui non poterat) Provinciæ Præſes qui aderat, Abſolutionem ei *Præparatio ad mortem.*

 Papalem

Digitized by Google

Papalem cum Indulgentiâ plenariâ nomine *Suæ Sanctitatis* impertivit, quam *vir Beatus* ſingulari devotione, gaudio, ac lacrymarum profluvio excepit.

Quamquam autem diuturnis iſtis graviſſimiſque languoribus adeò foret extenuatus, ut præter cutem & oſſa cohærẽtia vix quippiam haberet, Dominico tamen Chriſti corpori, cùm adportabatur, honorem voluit debitum exhibere genuaque flectens, devotione maximâ Chriſtianæ ſalutis certum fidumque ſumpſit viaticum. Mox officio linguæ utcumque reſtituto ſodalibuſque qui morientem piiſſimarum precum remigio comitabantur, ejuſque animam Deo, Cælitibuſque commendabant, ſalutem apprecatus, mente in Deum erectâ, oculiſque in ſublime elatus, hiſce verbis ingenti pietate pronunciatis; *In manus tuas Deus Pater commendo ſpiritum meum. In manus tuas Deus Fili, commẽdo ſpiritum meum. In manus tuas Deus Spiritus Sancte, commendo ſpiritum meum*: integrâ mente, certis ſenſibus, ſine vllo doloris, metúſve ſigno aut motu corporis, quaſi placido ſomno requieſcens, carnis laqueis exutus, in cælum, quiete cum Chriſto fruiturus, abſceſſit ſenex ac plenus dierum.

Migrat è vita.

Devotio populi.

43. Corpore ſummo cum honore, multiſque ſuorum lachrymis, juxta Religionis ritum, in Baſilicam delato, tanta ſubitò hominum

rum multitudo cujuſvis conditionis & dignitatis, ad videndum concurrit, ut admirationem ac ſtuporem toti vrbi concitaret, præſertim cunctis omni conatu ad ſacras ejus manus exoſculandas, pedes quoque ac faciem irrumpentibus, aut ad contingendum annitentibus. Intereà divinæ diſpenſationis gratia, ut poſt carnis depoſitionem famulum ſuum vivere comprobaret, eum miraculorum gloriâ decoravit. Quippè *Sanctimonialis* ex noſtris religioſa., quæ diutinâ, perpetuaque capitis vertigine atque cephalæa miſerè adflictabatur, piè ſperans, ſe *Henrici* meritis, & interceſſione ſanandam, ſanata illicò eſt, quando manu eâdem, quâ *Henrici* faciem reverenter tetigerat, tetigit & ſuam. *Religioſa curatur.*

44. Reliqua ab ipſo patrata, ſicut & locus, dies & annus quo obiit, vel antiqua Patrum humilitas, ab hujuſmodi memoriis, tanquam à faſtu abhorrens; vel hominum incuria; vel bellorum turbines; vel ipſum edax rerum tempus; obliteravit.

Nicolaus Cruſenius 3. p. Monaſtici cap. 11. vult ipſum è vivis exceſſiſſe anno 1310. *Ioſephus Pamphilus Epiſcopus Signinus* in Chronic. anno 1315. Sed hos decipi conſtat ex ipſomet *Henrico* de *Vrimaria*, qui anno 1354. adhuc vivebat, & ſcribebat *Tractatum de Origine Sacræ noſtræ Religionis*, *Pariſiis*, in Bibliotheca *Canonicorum Regularium S. Victoris*; *Fulda*, in

Abbatia

Digitized by Google

Abbatia *Ord. S. Benedicti*; & *Roma*, in *Bibliotheca* noſtra *Angelica*, aſſervatum.

Iacobus Philippus Bergomenſis in Supplemento, *Choppinus* lib.2. Monaſticon tit. 1. art.32. ad ann. 1334. referunt; *Trithemius* autem, & *Ludovicus Torellus* Centur.2. cap.76. ad annum 1340. Verùm anno 1353. *Henricus* adhuc erat *Regens Studij Pragenſis*, ut Pervetuſtus Codex Cœnobij noſtri *S. Thomæ* ibidem habet, allegatus *à Felice Milenſio* in ſuo Alphabeto pag. 234. 235. & *B. Iordanus* de *Saxonia* 2. p. *Vitar. fratrum* (quem ante finem anni 1357. edidit, ut annotatione 2. in fine vitæ *B. Ioannis* de *Lana* dixi) relatâ capite 12. biennali & ampliùs infirmitate illius, cap.13. piiſſimam deſcribit mortem. *Henricus* ergò ante finem anni 1357. è vivorum migraverat contubernio: ſed quo anno, menſe, die, incertum.

SCRIPSIT

In libb. Æthicorum Ariſtotelis libb.X. teſte *Iordano*, *Bergomenſi Coriolano*, *Tritthem. Anibaldo Canonico Atrebatenſi dicatos.*

Super I. Sententiarum lib. 1.

Super II. Sententiarum lib. 1.

Super III. Sententiarum lib. 1.

Super IV. Sententiarum lib. 1.

Additiones eius in libros Sententiarum, cum *Ægidij Romani* in eoſdem *Commentariis* impreſſæ

Digitized by Google

preſſæ ſunt *Coloniæ* anno 1513.

Quodlibeta & Quæſtiones varias lib. 1. Jordan. Bergomen. Coriolan. Tritthemius.

De decem præceptis lib. 1. Audi Iſrael. Bergom. & Tritthem. Vidi & legi *Coloniæ* in Bibliotheca *Carmelitarum.*

In Cantica Canticorum lib. 1. Bergom.

De Conceptione mentali lib. 1. Super Thema Canticorum: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum*, eſtque principium ejus: *Verba propoſita convenienter exprimuntur.*

De Incarnatione Verbi lib. 1. Bergom. Coriolan. Tritthem.

De perfectione hominis Interioris lib. 24.

Flores ex Collationibus SS. Patrum lib. 24. Bergom. Tritthem.

De vitiis Capitalibus libr. 1. Bergom. Gratianus.

Sed hîc velim obſerves, *Flores ex Collationibus SS. Patrum*, à Tractatu *de perfectione hominis interioris*, quem *Iordanus*, *Bergom. Coriolan. & Tritthemius* perperam librum dumtaxat 1. volunt, non eſſe diſtinctum, ſed unum & eundem, in 24. libros diviſum, qui in Ordinis noſtri Bibliothecâ *Monachij* urbe *Bavariæ* principe in folio exaratus exſtat: & quamquam totum opus collectum ſit ex Sanctorum Patrum Monachorum doctrinâ, unde illud *Ioannes Tritthemius* nominat *Flores ex Collatione Patrum*; non eſt tamen hic operis titulus, neque diverſus

Digitized by Google

diverſus liber ab eo quem ponit: *De perfectione hominis interioris*: Cujus primus liber agit *de vitiis principalibus* ſeu Capitalibus *eorumq́ remediis*, ejuſque prologus incipit: *Quia multa probabilia*, aliàs *prædicabilia*, Tractatus ſive primum caput: *Quia menti rationali.* Unde patet neque *librum de vitiis Capitalibus* diſtingui vel eſſe alium, ab hoc qui *de perfectione hominis interioris* inſcribitur, ut autumarunt *Bergomas* & *Gratianus*: neque univerſi hujus operis eſſe titulum, eumdemq́ue primum.

SCRIPSIT PRÆTEREA

De exemptione lib. 1. Jord. Berg. Coriol. Tritt.

Expoſitionem Decretalis. Cum Martha, De Celebratione Miſſarum lib. 1. Iord. Berg. Coriol. Tritth.

De quadruplici inſtinctu libr. 1. Berg. Coriol. Tritth.

Cujus libri doctrinam ſub nomine *Wilhelmi de Vrimaria*, omiſſo S. Ordinis nomine, Bernardinus Roſignolius Clericus Societ. Jesv lib. 3. cap. 17. & 18. contraxit.

Super Orationem Dominicam lib. 2. Bergom. Gratianus.

Super Ave MARIA *lib.* 1. Bergom. Gratian.

De quatuor ſenſibus Sacræ Script. lib. 1. Berg. Gratianus.

De quatuor virtutibus lib. 1. Gratianus.

Manuale

Digitized by Google

*Manuale Sacerdotum lib.*1. Berg.Gratian.

De Origine Fratrum Erem.S.Auguſtini MSS. Pariſiis in S.Victoris, Fuldæ in S.Benedicti, Romæ in Bibliotheca Angelica.

De nocturnis illuſionibus, earumq́ remediis. MSS. in Germ.

De mortificatione propria voluntatis. MSS. in Germania.

Sermones de tempore. Bergom.Tritth.

Sermones de Sanctis ducentos & ſeptemdecim. Jord. Berg. Tritth. impreſſos *Hagenaviæ* cum hac inſcriptione: Opus Sermonum exactiſſimorum de Sanctis, per Excellentem ac verè Seraphicum Doctorem Henricum ab Urimaria Ord. Erem. S. Auguſtini compilatum. *Vidi & legi Lovanij in Bibliotheca Patrum Prædicatorum.*

JACOBVS PHILIPPVS BERGOMAS lib. 13. Supplementi ad ann. 1334.

Henricus de Vrimaria, natione Theutonicus, Ord. Erem. D. Auguſtini Profeſſor, inſignis Theologus, & magno ac excellenti ingenio vir; majoreq́ doctrinâ, ac ſanctimoniâ; per hoc tempus ad multorum eruditionem multa eleganter & doctè compoſuit, ediditq́ opuſcula. Quibus geſtis tandem ad cæleſtem patriam migraturus, cum Sacramenta omnia religioſiſſimè percepiſſet, Confratribus ſuis vale faciens, hæc verba protulit: In manus tuas Pa-

ter

ter Deus commendo ſpiritum meum. In manus tuas Fili Deus commendo ſpiritum meum. In manus tuas Spiritus Sancte Deus cōmendo ſpiritum meum. Quibus completis (ut noſter Jordanus ſcribit) ſanctam Deo reddidit animam.

Lib. 2. Vitarfratrum cap. 13.

ABBAS SPANHEIMENSIS de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

HEnricus de Vrimaria, Ord. Fratrum Erem. S. Auguſtini, natione (ut ferunt) Theutonicus, vir in Scripturis ſanctis à pueritia ſtudioſiſſimus, & multum eruditus, in Philoſophia Ariſtotelica nulli ſuo tempore ſecundus, qui multis annis in Gymnaſio Pariſienſi Doctor egregius exſtitit, & celebri doctrina inſignis effulſit: Scripſit multa præclara volumina .... Claruit temporibus Ludovici Imperatoris IV. cognomento Bavari, & Benedicti Papæ XII. Anno Domini 1340.

BEATI

Digitized by Google

BEATI HENRICI AB VRIMARIA EX ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI, S. THEOLOGIÆ DOCTORIS PARISIENSIS

Bibliotheca Angelica

LIBER De quatuor Inſtinctibus.

CAPVT I.

Inſtinctum eſſe quadruplicem, eorumq́ differentiam cognitu difficilem.

SEMEN *cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Luc. 8. v. 8. Licèt verbum propoſitum exponatur per Chriſtũ de ſemine verbi Dei; poteſt tamen conveniẽter exponi tam de ſemine influxus gratuiti, quàm etiam de ſemine

D instin-

Digitized by Google

inſtinctus interioris. Et juxta vltimum intellectum, verbum propoſitum tractare decrevi: quia hic ſenſus eſt cæteris utilior, & profundior, propter quod rarò benè dilucidatur à Doctoribus veritatis.

Ad cujus evidentiam ſciẽdum, quod quadruplex eſt inſtinctus, ſive motus interior:

Divinus,
Angelicus,
Diabolicus, &
Naturalis.

Sed horum differentiam non eſt facilè comprehendere; quia frequenter *Angelus Satanæ*
2.Cor.11. *transfigurat ſe in Angelum lucis:* & multoties
v.14. creditur eſſe gratiæ, quod eſt naturæ. Quapropter apparet eſſe neceſſarium cuilibet homini rectè vivere volenti, ut iſtorum inſtinctuum ſive motuum differẽtiam cognoſcat,
Prov. 14. quatenùs declinet à *via, quæ* ſibi *recta videtur:*
v. 12. *cujus tamen noviſſima deducunt ad mortem.* Cauſa verò & ratio, quare ſit difficilè prædictos inſtinctus diſcernere, eſt ſimilitudo & conformitas luminis naturæ, & gratuiti; Nam utrumque lumen dictat homini, Deum ſuper omnia diligendum. Ideò non eſt parvum bonum homini, ſcire an iſtũ dilectionis actum eliciat à lumine naturali, an à lumine gratuito; hoc enim ſecundum *S.P. Auguſtinum,* & alios Doctores difficile eſt diſcernere, ob convenientiam & ſimilitudinem actuum prædictorum.

Digitized by Google

ctorum. Quamobrem rectè ſcribitur Eccleſiaſtæ 9. *neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*, hoc eſt, an actus, quem elicit, procedat à lumine gratuito, vel à lumine naturali. Eccleſ. 9. verſ. 1.

CAPVT II.

Inſtinctus Diuinus quadruplici ſigno cognoſcitur.

Circa primum igitur eſt ſciendum, quod Inſtinctus divinus propriè diſcerni poteſt quadruplici ſigno.

§. I.

Si ad exemplum Chriſti & Sanctorum invitet.

Primum ſignum eſt, ſi illud ad quod inſtigaris, exemplis Chriſti & Sanctorum te magis conformet. Conſtat enim quod ex ſummo bono non poteſt effluere niſi bonum; cùm igitur Deus ſit ſummè bonus, certum eſt quòd per ſuum Inſtinctum non inclinat hominem, niſi ad illud quod eſt ipſi conveniens & optimum: hoc autem eſt exemplis Chriſti & Sanctorum conformari; igitur, &c.

E contrà verò, ille inſtinctus, qui abducit hominem ab exemplis Chriſti & Sancto-

Digitized by Google

rum, neceſſariò eſt contrarius inſtinctui divino, iuxta illud: *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Ideoque dixit Salvator: *Ego ſum oſtium*, quod ingredientes, ad veram beatitudinem perducit, exempla quippè virtuoſa nobis per Chriſtum oſtenſa, hominem indubitanter ad veram beatitudinem perducunt. Et ideò benè ſubdit: *per me ſi quis introierit, ſalvabitur. Qui* autem *non intrat per illud oſtium, ſed adſcendit aliundè, ille fur eſt, & latro.* Quo evidenter innuit, illum inſtinctum, qui hominem abducit ab exemplis Chriſti & Sanctorum, animam ſpiritualiter necare, & æternâ beatitudine privare: idcircò ſignanter dicit illum inſtinctum eſſe furem & latronem.

Matt. 12. verſ. 30. Ioan. 10. verſ. 9. Ibidem.

§. II.

Si invitet ad humilitatem.

SEcundum ſignum eſt, ſi id ad quod inſtigaris te magis in te ipſo humiliet ita ut ſequendo illum inſtinctum ex hoc magis in teipſo humilieris quàm ſine ipſo. Hoc eſt enim certũ indicium quod in te ſit inſtinctus divinus & Deificus & in veram beatitudinem directivus. Nam ſicut ſuperbia fuit cauſa & occaſio primo angelo & etiam homini ſui lapſus & damnationis, ita è converſo humilitas eſt via recta hominis

Digitized by Google

nis in veram beatitudinem directiva. Proptereà ſignāter ſcribitur: *Per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Super quo verſu dicit: Gregorius: *Sicut ab æternâ patriâ per ſuperbiam receſſimus, ita per aliam viam, humilitatis videlicet, redire debemus.* Propter quod *Chriſtus* iſtam viam tam verbo quàm exemplo per ſemetipſum nos docuit & oſtendit dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Ubi ſciendum quòd ſignanter dicit iſtas virtutes ab ipſo eſſe diſcendas, quia in ipſo ſolo iſtæ virtutes in maximâ claritate præ cæteris effulſerunt, ideoque ipſe ſolus eſt iſtarum virtutum ſingularis Doctor & magiſter. Quia eas docuit tam verbo quàm exemplo. Idcircò autem ad iſtas virtutes nos ſingulariter hortatur, quòd per eas homo ad divinam unionem ſpecialiter diſponatur, ut aditus regni cæleſtis homini aperiatur. Idem evidēter oſtendit *Auguſtinus* de humilitate, ipſam aſſerens tantæ eſſe virtutis & dignitatis, quod per nullum alium quàm per ſolum Deum potuit edoceri, quia nimirùm per exempla ſuæ humilitatis nobis certam & rectam viam oſtendit æternæ felicitatis. Idem patet de mititate & manſuetudine, ſicut enim videmus quòd roſa ad præſentiam dulcis roris, & fervorem ſolis, naturaliter ſe aperit, & de contrà ad frigidi venti præſentiam ſeipſam claudit: ita cor ſummum ex dulcore mititatis & manſuetudinis

Matth. 2. verſ. 12.

Matth. 11. verſ. 29.

Lib. de S. Virg. c. 35.

Simile.

ſuetudinis dilatatur, & ad recipiendum divinos influxus capaciùs redditur. Cujus rei exemplum in veteri lege patuit in Prophetis qui cùm quandoque non eſſent diſpoſiti ad recipiendum donum Prophetiæ fecerunt adhuc Pſaltem & ex dulcedine ſymphoniæ cor ipſorum tantoperè dilatabatur, & ita gratioſè diſponebantur, ut ſtatim reciperent influxum doni Prophetiæ. Signanter igitur *Chriſtus* iſtas duas virtutes ſpecialiter commemorat, quia ſunt quaſi duæ pediſſequæ quæ animam devotam Dominicis amplexibus coaptant. Militiæ quippè, ut viſum eſt, cor & mentem ſuo dulcore aperit; adeoque Domino quaſi liberum ingreſſum ad animam diſponit: ipſa verò humilitas, Deo tam ſuaviter redolens, ipſam quaſi ad ſponſi cubiculum introducit: Et eam divinis amplexibus conjungit.

§. III.

Si ab exterioribus ad interiora mentem colligat, eamq; ad unionem cum Deo diſponat.

TErtium ſignum, ſi illud ad quod inſtigaris magis mentaliter te confortet, & cor tuum magis congreget, & adunet. Nam experimento probamus, quòd quantò magis homo in ſeipſo recolligitur, & cordi ſuo intimior

timior exiſtit: tantò eſt potentior ad tentationes quaſlibet repellendas. Conſtat autem quòd inſtinctus divinus ſemper revocat hominem ab exterioribus tumultibus ſæculi & ipſum invitat ad ſimplicitatem, unitatem & intimitatem cordis ſui. Quod evidenter patet in bonis & veris religioſis, quorum facies conſuevit eſſe ſimplex, ſerena atque ſincera ad deſignandum eorum innocentiam, & internam mentis conſtantiam. Ipſorum etiam oculi ſunt depreſſi, ad deſignandum quòd cor eorum ſit elongatum ab affectione terrenorum, & quòd mens ipſorum in ſolo Deo jugiter delectetur. Gaudia inſuper mundi ſunt ipſis pœnalia & afflictiva, ad oſtendendum quòd nullam convenientiam cum mundo participent, prout Salvator dixit ſuis diſcipulis. Joan. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus.* Et tales ſunt libenter ſolitarij, & ſolitudinem diligunt, quia totam ſuam delectationem in ſolo Deo poſuerunt. Ideoque appetunt eſſe ſolitarij ne tumultus exterior ipſis divinam præſentiam intercludat. Et omnia iſta evidenter deſignant quòd ideò divinus inſtinctus hominem ab exterioribus ad intima ſui cordis revocat. Ut eum in ſeipſo reddat fortiorem, & ad conſervandam divinam præſentiam faciat aptiorem. Quod ſubtiliter

Joan. 15. verſ. 19.

Pſal.63.v.8 videtur innuere propheta cùm dicit: *Accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* *Cor* enim
Aug.ibid. *altum ſecundum Auguſtinum* dicitur *cor ſecretum.* Uude homo debet accedere ad tam ſecretum & intimum locum ſui cordis & ipſe ab omnibus tumultibus & curis ſæculi abſcondatur & tunc in ipſo Deus exaltabitur per largos ſcilicet influxus divinæ præſentiæ & pietatis, ex quibus homo ad tantam perfectionem & dulcedinem ſubvehitur, ut efficiatur forma & ſpeculum rectè vivendi, omnibus ipſum contemplantibus.
Jſa.61.v.9. Jſaiâ atteſtante qui dicit: *Omnes* homines *qui viderint eos cognoſcent illos*: hoc eſt, eorum vitam exemplarem & mores ſanctos approbabunt: Et dicent, quoniam *hoc eſt ſemen cui benedixit Dominus.*

§. IV.

Si animam majore virtutum opulentiâ reficiat & compleat.

QVartum ſignum eſt, ſi illud ad quod inſtigaris majori virtutum opulentiâ te reficiat atque ditet. Certum quippè eſt, quòd ſicuti Deus in ſeipſo eſt ſummum bonum, ita ſemper movet hominem per ſuum inſtinctum ad illud quod eſt optimum, & Deo magis gratum. Quamobrem quicumque purè & ſincerè pareret divinis inſtinctibus, ille

jugiter

jugiter niteretur in ſuis actionibus attingere quod eſt optimum, & Deo magis gratum. Sed prô dolor! quidam adeò ſunt infirmi, cordis, & cùm tantâ diffidentiâ Deo ſerviunt, quòd parum de divinis inſtinctibus percipiant, & circa eos adeò divinam clementiam invigilare oportet, qualiter eorum corda attingat, & in quibus velint ſequi divinum inſtinctum, & in quibus non, quòd oporteat Deum ſub ſpecie extraneâ ſuos inſtinctus iſtis immittere, ſicut in ſomno & ænigmate olim Prophetis loquebatur: ſic & iſti tam extraneè & dubiè divinos inſtinctus recipiunt, quòd divinas monitiones quaſi quoddam ſomnium arbitrentur; Et hæc eſt vera & certa cauſſa quare tam pauci homines benè & diſtinctè cognoſcant quando divinos inſtinctus recipiant. Quod indè, ut dixi, contingit quòd multi ſint qui cum tantâ tepiditate & negligentiâ Deo ſerviant, & tantùm ſe à corde ſuo elongent: ac ſi cor eorum eſſet fovea, vel laqueus æternæ damnationis; nec magis ſe ab ipſo elongare poſſent. Et ideò non eſt mirum ſi tales ſic à corde ſuo elongati, & à Deo averſi, divinos inſtinctus non percipiant, qui ſolùm in intimo cordis ſentiuntur. Sed illi ſolùm divinos inſtinctus percipiunt, qui cuſtodiunt intima ſui cordis, & benè poſſunt dicere cum Prophetâ, *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, quia divinus inſtinctus, ut Pſal. 84. v. 9

 præmiſ-

præmiſſum eſt, reddit hominem in ſeipſo fortiorem, & in virtutibus, & gratiis opulentiorem, ideò debet videre quòd poſſit pro tunc aliquid meliùs operari quàm ſit illud ad quod à Deo movetur, quia ſemper divinùs inſtinctus inclinat hominem in illud quod eſt melius, & perfectius, ut viſum eſt. Nec etiam debet videri alicui quod illa ad quę Deus movet hominem & inclinat ſint nimis ardua, & facultatem ſuarum virium excedentia, ſed potius debet confidere quod ſibi abſque dubio vires conferet, quibus hoc exequi poſſit ad quod movetur à Deo. Quod evidenter

Jſaiæ 40. v. 31. oſtendit Jſaias cùm dicit: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Quod benè ſenſerat Apoſto-

Philip. 4. verſ. 13. lus cùm dicebat: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Et ideò Propheta David tale robur di-

Pſal. 29. v. 8 vinæ virtutis expertus, dicit: *Domine in voluntate tua,* id eſt, per inſtinctũ tuæ miſerationis & pietatis, *præſtitiſti decori meo* virtuoſo *virtutem,* quaſi dicat: Domine per virtutem & robur tuorum inſtinctuum & motionum, perfecta ſunt in me opera illa, quæ præſtant mihi virtutem intellectualis & virtualis decoris: Quam virtutem & decorem nobis præſtare dignetur Deus benedictus. Amen.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT III.

Quatuor ſigna inſtinctus Angelici.

SEcundus verò inſtinctus interior eſt Angelicus, qui attenditur in hoc, quòd ſemper hominem excitat ad bonum deſiderium & bonam voluntatem. Qui etiam poteſt diſcerni quadruplici ſigno.

§. I.

Inſtinctus Angelicus initio conturbat, in fine conſolationem adfert.

PRimùm ſignum eſt. Quòd Angelus, vel inſtinctus Angelicus in principio mentem hominis dejicit & conturbat; ſed ſemper in fine mentem ejus erigit, & hominem conſolatum relinquit. Quod evidenter claruit in Virgine glorioſâ, quæ fuit in principio per ſalutationem angelicam conturbata, ſed in fine ipſam conſolabatur dicens, Luc. 1. *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Dominum*. Ex quo oritur notabilis dubitatio, cùm enim Angelus in ſua ſalutatione nuncium tantæ ſalutis attulerit, & per hoc Virginem glorioſam in tantùm culmen ſingularis dignitatis provexerit, quòd per hoc dicta ſit mater Luc. 1. v. 30.

Dei,

Digitized by Google

Dei, videtur quòd magis de ſalutatione ſuâ jucundari & gloriari debuerit, quàm turbari. Ad quod dicendum, quòd licèt ſalutatio Angelica Beatæ Virgini fuerit multùm placida & jucunda propter rationes tactas, ſunt tamen tres aliæ cauſæ propter quas beata Virgo fuit ab angelo conturbata.

Prima eſt, quia expavit *fulgorem claritatis* Angelicæ, quæ tanta fuit quòd fragilitas humani aſpectus eam ſuſtinere non potuerit. Nec mirum cùm claritas Angelica in die Paſchæ, tantoperè cuſtodes exterruerit quòd
Matth. 28. verſ. 4. *facti ſunt velut mortui.*

Secunda eſt, quia expavit magnitudinem divinæ pietatis & dignationis, quâ ſe videbat electam in matrem Dei; Quo tamen beneficio ſe ſenſit indignam. Nam poſtquam electa eſt mater Dei, & regina Cæli, ſeipſam per humilitatem dejiciens non dixit: Ec-
Luc. 1. v. 38 ce mater Domini, ſed, *ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

Tertia eſt, quia expavit altitudinem & profunditatem, divini Conſilij, quâ excellenter mirabatur quòd ſuæ divinitatis Celſitudinem tantum voluit inclinare, & tam parvulo Virginis utero ſuæ immenſitatis magnitudinem voluit, ſcivit, & potuit cōarctare.

§. II. An-

§. II.

Angelus bonus initio abſcondit ſe, in fine verò ſe oſtendit & prodit.

SEcundum ſignum eſt quòd Angelus bonus in principio ſe ſemper occultat, ſed in fine ſeipſum manifeſtat. Cauſſa autem cur hoc faciat videtur iſta. Ne homo magnitudinem Angelicæ dignitatis expaveſcat; Ideò verò in fine ſe manifeſtat, ut magnitudo divinæ miſerationis homini pleniùs eluceſcat. Quod benè claruit in *Tobia*, cui Angelus in principio ſub ſpecie curſoris & nuncij apparuit, & ei per viam ſervile miniſterium exhibuit; ſed in fine, poſtquam ſe angelum eſſe, & à Deo miſſum revelavit, tunc Tobias divinæ miſerationis opus agnovit & in præconium divinæ laudis prorupit dicens: *Magnus es Domine in æternum, & in omnia ſæcula regnum tuum*, &c.

Tob.5.v.5.

Tob. 3.

§. III.

Inſtinctus Angelicus invitat ſemper ad utilia & bona.

TErtium ſignum eſt, quòd inſtinctus Angelicus ſemper movet hominem ad illa quæ ſunt bona & utilia in ſeipſis, licèt hoc

Digitized by Google

quandoque homini prima facie non appareat. Propter quod quicumque vult exquirere an finis inſtinctus procedat ab angelo bono, debet illud ad quod inſtigatur corde ſuo revoluere & intueri, ac ſi jam præſentialiter factum eſſet; & ſi tunc ſibi Conſcientia atteſtatur, quod illud ſit Deo gratum, ſibi ipſi proficuum & proximo utile, & conſolatorium, hoc eſt certum indicium angelici inſtinctus.

Gen. 22. 2. Sed hîc oritur duplex quæſtio; Prima eſt, quomodo poſſit dici quòd illud ſemper ſit bonum ad quod angelus bonus inducit & inſtigat, cùm tamen præceperit *Abrahæ* ut filium ſuum immolaret, quod per ſe videtur fuiſſe malum & illicitum tamquam contrarium inclinationi naturalis amoris.

Secunda Quæſtio eſt, dato quòd talis admonitio fieret alicui per angelum bonum, utrùm nunc homo obedire deberet ſicuti Abraham obedivit?

Ad primam quæſtionem non eſt dicendum, quòd illud ad quod Angelus bonus inſtigat, ſemper eſt bonum, aut in ſeipſo, aut quantum ad illud, quod per hoc Angelus intendit. Et quia per illud mandatum *Abrahæ* factum Angelus intendebat probare & demonſtrare fidem & obedientiam ipſius *Abrahæ*, quæ nobis in exemplum proponēda erat, & voluit etiam per hoc præfigurare quòd Pater

Pater Cæleſtis filium ſuum pro nobis vellet immolare, quorum utrumque fuit bonum & utile. Verùm, quia corporalem interfectionem ipſius *Iſaac* angelus non intendebat, ideò eam fieri prohibuit poſtquam *Abraham* divino præcepto in voluntate immolandi obedivit.

Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quòd illa quæ non intenduntur propter ſe, ſed propter alia ſignificanda, illa ſolùm locum habent durante illa ſignificatione quæ tunc intenditur, quâ completâ, illæ res ulteriùs locum non habent. Et quia *Chriſti* immolatio nunc eſt in rei veritate completa, quæ tunc erat futura, ideò talis admonitio pro nunc locum non habet, nec ei per conſequens modò obtemperandum eſſet: Et ideò angelus bonus ſolùm pro nunc hominem ad illa inſtigat, quæ pertinent ad ejus perfectionem ſpiritualem conſumendam; & ad ejus felicitatem adſequendam, quæ omnia conſtat eſſe bona & utilia in ſeipſis.

§. IV. *An-*

Digitized by Google

§. IV.

Angelicus inſtinctus excitat bonam voluntatem incipientium ad peccati deteſtationem; proficientium ad fervorem internæ devotionis: perfectorum verò ad internæ dulcedinis prægustationem.

QVartum ſignum angelici inſtinctus, eſt bonæ voluntatis excitatio, quæ quidem excitatio fit tripliciter, ſecundum tria genera hominum. Nam incipientes excitantur per peccati deteſtationem, homo enim quandoque per interiorem inſtinctum, ad tantam peccati diſplicentiam perducitur, quod pro illo tempore nullo modo peccare libeat, etiamſi hoc impunè & ſaluâ divinâ offensâ facere poſſet. Et hoc ſignanter figuratur in an-
Act.12.v.7. gelo *Petrum* in carcere excitante, & ipſum à vinculis quibus conſtrictus erat, abſolvente.

Proficientes verò excitantur per boni deſiderij inflammationem, & per interioris devotionis fervorem. Contingit enim quandoque quòd homo tantam cordis ariditatem incurrit: quòd nullum boni exercituum ipſi ſapiat, & in illa mentis ariditate tamdiu p[er]durat, quouſque per interiorem inſtinct[um] divinæ gratiæ, dulcorem devotionis recip[it]

per

Digitized by Google

per quem redditur ſibi dulce & ſapidũ, quod prius erat inſipidum: & hoc apertè figuratur in angelo *Eliam* à ſomno excitante, & ipſum per ardorem boni deſiderij inflammãte. 3. Reg. 19. verſ. 7.

Perfecti verò excitantur per interiorem divinæ dulcedinis prægustationem. Quam benè ſenſerat *Sapiens* cùm præ dulcore internæ ſuavitatis exclamaret: *O quàm bonus & quàm ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus.* Sap. 12. v. 1. Et hoc ſimiliter figuratur aptè in eodem angelo ipſum *Eliam* tam corporali, quàm ſpirituali cibo adeò dulciter reficiente, quòd *in fortitudine cibi illius ambulavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei Horeb*: Horeb enim interpretatur menſa, vel ſatietas; & deſignat myſticè, quod mens quandoque per dulcorem divinæ gratiæ & dulcedinis, in tantam ſuavitatem & ſatietatem ducitur, quod ad nullum bonum creatum poſſet pro tunc delectabiliter inclinari. Quod nobis deguſtare concedat qui ſine fine vivit & regnat. 3. Reg. 19. verſ. 8.

CAPUT IV.

Inſtinctum diabolicum divino contrariari, & qualiter.

Tertius inſtinctus interior dicitur diabolicus, & quia diabolus ex obſtinatâ ma-

litiâ ſuæ voluntatis naturaliter adverſatur omni bono humano, ideò ſicut inſtinctus divinus, & Angelicus hominem ſemper movent ad bonum ita è contrario, inſtinctus diabolicus ſemper hominem inclinat ad malum. Unde primò eſt oſtendendum qualiter inſtinctus ejus adverſetur inſtinctui divino. Secundò quomodo adverſetur inſtinctui angelico. Propter primum igitur eſt ſciendum quòd etiam inſtinctus diabolicus poteſt diſcerni quadruplici ſigno.

§. I.

Diabolum ſemper inſtigare ad id quod exemplis Chriſti & vita Sanctorum eſt contrarium.

PRimum ſignum eſt: quod illud ad quod diabolus inſtigat hominem ſemper eſt contrarium exemplis Chriſti & vitæ Sanctorum: & ſi hoc quandoque non videatur in apparentiâ, ſemper tamen eſt contrarium in rei veritate & in exiſtentiâ. Quod ex hoc contingit, quia diabolus ex obſtinata ſua voluntate in malo, habet naturalem repugnantiam ad omne bonum. Propter quod ſicut in Chriſto ſunt tres proprietates, ſecundũ quas ſalutem noſtram tripliciter efficit, ita è contrario diabolus habet tres proprietates, quibus

Digitized by Google

bus noſtram ſalutem tripliciter impedit & exemplis Chriſti tripliciter adverſatur.

Primò proprietas Chriſti eſt, quòd in quantùm eſt verbum æternum dicitur, *ſplendor & ſpeculum divinæ veritatis. Ego ſum via, veritas & vita.* Ioan. 14. verſ. 6.

Secunda, quòd eſt Candor paternæ claritatis.

Tertia, quòd eſt fons & origo æternæ felicitatis. Sed è contrario in diabolo ſunt tria conſideranda, ſecundùm quæ per ſuas machinationes noſtram ſalutem tripliciter impedit. Primum eſt quod eſt mendax & Pater mendacij. *Mendax eſt, & Pater ejus.* Et ideò per ſuum inſtinctum abducit homines à divinâ veritate. Secundum eſt quod eſt *princeps tenebrarum*, & ideò per ſuos inſtinctus nobis nititur obſcurare lucem divinæ claritatis. Tertium eſt quod eſt *auctor mortis & æternæ damnationis*, & ideoque per ſuos inſtinctus conatur nos abducere à fonte divinæ ſuavitatis & æternæ felicitatis. Ioan. 8. verſ. 44. Epheſ. 6. verſ. 12.

§. II.

Id ad quod diabolus inſtigat, elevat hominem ad tumorem mentis.

SEcundum ſignum eſt, quod illud ad quod inſtigat diabolus, hominē elevat in quan-

dam animi magnanimitatem, & facit eum rigidum & præſumptuoſum in ſuâ propriâ voluntate;quia ſicut caſus ipſius diaboli ſumpſit originem ex ſuâ propriâ excellentiâ, ita ejus inſtinctus hominem elevat in quandam magnanimitatem propriæ excellentiæ, & in magnam æſtimationem propriæ reputationis: & per hoc ipſum hominem firmat in rigore propriæ voluntatis: propter quod ſequens illum inſtinctum labitur neceſſariò in tres defectus culpabiles.

Primus eſt, quod illi ſunt rigidi in ſenſu proprio, libenter cadunt cum aliis in contentiones verborum & rixas, ex quibus pax cordis inquietatur, & amor ad proximum diminuitur.

Secundus eſt, quòd iſti dedignantur cùm de defectibus redarguuntur, nec æquanimiter ferunt, ſi ab aliis doctioribus inſtruantur. Quod inde cõtingit, quia ex magnanimitate ſuæ præſumptionis, præferunt ſenſum ſuum omnibus aliis. Propter quod, frequenter in iſtis obruitur zelus, & diligentia, in meliùs proficiendi, & etiam cautela & ſtudium ſe à noxiis præſervandi.

Tertius eſt, quia iſti homines indiſſolubiliùs cæteris in ſuis defectibus cõſtringuntur, & minùs poſſunt ab eis divelli, quàm illi qui non tantùm proprio ſenſui innituntur. Quod inde contingit, quia illi, qui tantùm ſenſui proprio

Digitized by Google

proprio innituntur, divinis inſtinctibus maximè adverſantur, propter quod Propheta de conditione iſtorum hominum loquens dicit: quòd defectus culpabilis ſit homini obſtinato in ſuo ſenſu adeò connaturalis: *Sicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona quâ ſemper præcingitur.* In quibus evidenter innuitur, quod iſti fortiùs & indiſſolubiliùs ſint conſtricti cum ſuis defectibus quàm cæteri homines. Pſal. 108. verſ. 19.

Ad evadendum autem iſtos defectus, optimum remedium eſt, quòd homo gerat cor humile, & animum mitem, & quòd æſtimet omnem hominem meliorem & doctiorem ſe, quia ſic à nullo verebitur argui, vel etiam edoceri, quod ſuæ ſaluti viderit proficuum. Propter quod *Tobias* illud ſalutare documentum filio ſuo tradidit dicens: *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Unde notandum eſt quòd homines propriæ voluntatis cadunt ſpecialiter præ aliis hominibus in triplicem defectum culpabilem. Tob. 4. verſ. 14.

Primus eſt, quia tales in ſuis actibus volunt eſſe ſingulares, nec aliquid eis placet, niſi eorum conſonum ſit voluntati. Ideoque tales facilè dedignantur, cùm pro ſuis defectibus arguuntur. Nec unquam libenter obediunt, niſi cùm audire contigerit quod eis libuerit: ut dicit *Bernardus.*

Secundus eſt, quia tales ſunt obſtinati &

inflexibiles in ſuo ſenſu; nec quiſpiam facilè eis perſuaſerit ea quæ ſuæ voluntati repugnant.

Tertius eſt, quia tales ſunt præſumptuoſi: ex magnitudine enim ſuæ pertinaciæ in tantùm præſumunt quòd ſenſum & cõceptum ſuum omnibus aliis præferant. Ideoque ab aliis non facilè inſtructionem recipiunt, cæteriſque fortiùs ſuis defectibus conſtringuntur, & ab eis difficilius reſipiſcunt.

§. III.

Id ad quod diabolus hominẽ inſtigat à corde proprio magis abſtrahit & elongat.

TErtium ſignum eſt, quod id ad quod diabolus inſtigat hominem, à corde ſuo magis elongat & reddit eum magis invalidum in ſeipſo.

Cauſa verò quare diabolus hominem à corde ſuo in tantùm nititur elongare, videtur eſſe triplex.

Prima, ut ipſum impotentiorem faciat in ſeipſo, nam per hoc homo ſibi ipſi & omnibus aliis magis poterit dominari, quò cordi ſuo propinquior exiſtit.

Secunda, ut ipſum in tentationem faciliùs dejiciat, ſicut patet per hoc quod homo quandoque per magnam tentationem non dejicitur, quando cordi ſuo benè dominatur qui tamen

Digitized by Google

tamen aliàs quandoque per verbum minimum ad impatientiam deducitur.

Tertia, per hoc homini divinam præſentiam ſubtrahat ne eam agnoſcat. Cùm enim Deus ſecundum S. P. *Auguſtinum ſit* intimior animæ, quàm anima ſibiipſi, conſtat quòd quantò eſt cordi ſuo vicinior tantò eſt Deo propinquior: & per conſequens, ejus præſentiam faciliùs & perſpicaciùs agnoſcit. Et ideò diabolus ex affectatâ malitiâ hominem in tantùm à corde ſuo nititur elongare, ut ex hoc ſubtrahat ei guſtum & dulcedinem divinæ præſentiæ. Propter quod *Chriſtus* dixit *Petro*: *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*, hoc eſt, ideò nititur vos ad modum grani circumvolvere & cribrare, ut vos à cordibus veſtris magis elonget, & ut ſitis impotentiores ad reſiſtendum ſuis machinationibus, & etiam poſſit vos privare divinæ præſentiæ delectabilibus amplexibus. Luc. 22. verſ. 31.

§. IV.

Id ad quod diabolus inſtigat, hominem in virtutibus magis extenuat, doniſq; Dei gratuitis quaſi exuit, atque ad creaturas & terram abjicit.

QVartum ſignum eſt, quòd illud ad quod diabolus inſtigat hominem, eſt, ut ſibi

Digitized by Google

conſentientem, in virtutibus & donis gratuitis magis extenuet, quod inde poteſt colligi.

Nam ille qui vult proficere in incremento virtutum, naturaliter habet tria, quibus diabolicus inſtinctus adverſatur.

Primum, quod ſicut probat experientia homo per motum gratiæ ſemper efficiatur in ſeipſo humilior.

Secundum, quòd gratia mentem hominis ad divinum amorem & deſiderium magis elevat & accedit.

Tertium, quòd gratia mentem hominis reficit quodam interiori dulcore devotionis.

Inſtinctus autem Diabolicus iſtis adverſatur: & quidem primò hominem in ſeipſo elevando, & tumidum reddendo.

Secundò mentem hominis deprimendo, & ab amore Dei avertendo.

Tertiò omnem guſtum internæ devotionis tollendo, & hominem ad carnales delectationes inclinando, & alliciendo. Quod inde conjici poteſt, nullus namque eſt tantis defectibus irretitus, quin cor ſuum, quotieſcumque percipit divinum inſtinctum interiùs delectetur. Unde colligitur nullum eſſe adeò malum, quin mentaliter gaudeat, quando divinæ volũtatis beneplacitum adimplet; & nullum adeò eſſe bonum qui ſi in aliquo caſu quantumcunque habeat apparentiam boni, ſecutus fuerit inſtinctum Diabolicum, inde

Digitized by Google

inde conſolari valeat, quinimò potiùs ex hoc mœrorem mentis incurrat. Et ſi homo hoc non perpendat, inde provenit, quòd interiorem ſui cordis diſpoſitionem cum diligentiâ non advertat. Quare inter alia omnia, hoc videtur homini ſummè utile & neceſſarium, ut accuratè cor ſuum cuſtodiat, & interiorem ejus diſpoſitionem diligenter advertat. Inde enim homo attingit ſecuritatem bonæ vitæ, & puritatem conſcientiæ, ut declarat Apoſtolus cùm dicit: *Gloria noſtra hac eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ:* quaſi dicat; tunc poteſt quilibet in corde ſuo meritò gloriari, quando conſcientia interior, ſibi ante prohibet teſtimonium bonæ vitæ. Certum eſt autem iſtud teſtimonium neminem habere poſſe niſi perſiſtat in diligenti cuſtodiâ cordis ſui. Et iſta ſunt quatuor, quibus inſtinctus Diabolicus divino contrariatur. 2. Cor. 1. verſ. 12.

CAPUT V.

Inſtinctum Diabolicum quadruplici etiam ſigno ab Angelico diſtingui.

Viſo ergò qualiter & quibus modis inſtinctus Diabolicus Divino adverſetur, reſtat oſtendere, quomodo adverſetur etiam Angelico, quod ſimiliter quadruplici ſigno cognoſci poteſt.

§. I.

Diabolus initio conſolatur, & delectat: poſteà verò adfligit & cruciat.

PRimum ſignum eſt, quòd Diabolus ſuo inſtinctu ſemper in principio hominem conſolatur, proponens ipſi peccati delectationem, gaudia mundi, & generalitatem proprij commodi; ſed in fine ipſum in mœrore & mœſtitiâ relinquit: hoc enim eſt Diabolicæ malitiæ proprium, quod ſub ſpecie falſi gaudij & tranſitoriæ delectationis infigat homini venenum, & peccati aculeum. Ideoque eius inſtinctus ſimilis eſt roſæ ſpinis circumſeptæ; quia licèt adſpectus roſæ multum ſit delectabilis, ſpinæ tamen aculeus eſt multum pungitivus: Eodem modo quamvis inſtinctus Diabolicus in principio ſit gaudioſus, in fine tamen cùm vulnus peccati infixerit, doloroſus eſt & contriſtativus.

§. II.

Diabolus initio adfert ſecuritatem, in fine differentiam.

SEcundum ſignum eſt, quod illius inſtinctus homini ſuggerit ſecuritatem in principio, at in fine prætendit diffidentiam & dubietatem.

Digitized by Google

bietatem. Hoc quippè eſt proprium ejus falſitati, quòd hominem initio reddat ſecurũ, ut laqueũ ſuæ machinationis minus timeat, vel advertat: in fine tamẽ ipſum in diffidentiâ relinquit, ut illi ſpem veniæ tollat, & ſubtrahat divini auxilij confidentiam. Et hoc rationabiliter videtur contingere. Nam occaſio proprij ſui lapſus & obſtinationis inde videtur proceſſiſſe, quod ex quadam præſumptione nimium in ſe confidebat, & ſui lapſus periculum non timebat; ſi enim lapſus ſui periculum attendiſſet, nequaquam cecidiſſet, eò quòd ſecundum *Dionyſium, nullum agens adſpiciens ad malum, agit, quod agit.*

Præctereà ſi Diabolus adhuc poſſet habere ſpem veniæ & confidentiam divini auxilij, certum eſt, quòd in eo mentis obſtinatio tolleretur. Quare adverte, præſumptionem malum non cavendi, & torporem ac diffidentiam in meliùs proficiendi, eſſe duo certa indicia cordium perverſorum. Ideoque præmiſi Diaboli inſtinctum hominem in principio ſecurum reddere, ut ſuam deceptionem minùs timeat, vel advertat; in fine verò ipſum in diffidentiâ & perplexitatę relinquere, ut ei ſpem veniæ auferat, eumque in deſperationis laqueum trudat.

§. III. *Dia-*

Digitized by Google

§. III.

Diaboli inſtinctus in ſpecie, & fortè re bonus, nunquam ſecurus eſt, vel bonum exitum ſortitur.

TErtium ſignum eſt, quòd propter fraudem & dolum in Diaboli inſtinctibus occultatum, homo nullam confidentiam habere poſſit, illius inſtinctus bonum exitum ſortituros. Si enim homo circumſpectus id ad quod inſtigatur in diligentem conſiderationis diſcuſſionem reducat, ſtatim advertet nihil boni ſibi inde poſſe provenire: idque inde contingit, quod interior conſcientia & cordis intima tali inſtinctui remurmurent, quamobrem Diabolus non poteſt homini quicquam ſuggerere ſub tantâ ſanctitatis ſpecie, quin ſtatim illius falſitatem & malitiam deprehendat, dummodò homo plenâ fiduciâ vacet ſanctitati & divinæ pietati, & perfectâ cordis humilitate ad ſuæ mentis diſcuſſionem redeat. Ideoque dicit Bernardus, quòd in fine Diabolicus inſtinctus humilitate efficiatur Angelicus. Quod ſic poteſt videri, contingit enim quandoque, quod Diabolus aliquid ſuadet homini, quod eſt bonum in ſe, ſub intentione tamen mali, ut per hoc hominem periculoſiùs dejiciat. Sed iſtam verſutiam

Digitized by Google

verſutiam mens humilis ſtatim advertit, ſi illum inſtinctum cum plenâ fiduciâ divinæ bonitatis diligenter voluerit contemplari, & veraciter cum Apoſtolo dixerit, *non enim ignoramus cogitationes ejus.* Et ideo cor humile in talibus inſtinctibus ſe habere debet ad modum apis: etenim ſicut apis dulcorem aërium & benè digeſtum ſugit ab ipſis floribus; pôderoſitatem & terreſtreitatẽ in eis exiſtentem relinquit: ita cor humile per internam & divinam inſpirationem ſugit ab ipſo inſtinctu Diaboli, illud quod illi bonitatis exiſtit; ſed cùm malitiam Diabolicæ machinationis perſenſerit, tunc aculeum venenatum & ſub boni ſpecie occultatum, Diabolo relinquit. Propter quod B. *Antonium* legimus in quadam viſione divinitùs ei factâ totum iſtum mundum laqueis Diabolicis plenum deprehendiſſe, & exclamaſſe: O! *Domine quis tantam laqueorum numeroſitatem poterit evitare?* Et reſponſum accepit, *nihil aliud, niſi cor humile, quod omnes vias ſuas in perfectâ humilitate cuſtodit.* 2 Cor. 2. verſ. 11.

§. IV.

Diabolicus inſtinctus bonam voluntatem & charitatem extinguit.

QVartum ſignum Diabolici inſtinctus eſt, bonæ voluntatis extinctio, & charitatis

ritatis enervatio. Nam ſicut quartum ſignum Angelici inſtinctus eſt, quod in homine bonam voluntatem excitat, & veram charitatem præcipuè accendat; ita è contra Diabolus conatur ſuo inſtinctu bonam in homine voluntatem, & præcipuè veram charitatem extinguere: quia novit charitatem eſſe fundamentum totius ædificij ſpiritualis, quo ſublato totum ædificium ſubverteretur. Id

1. Reg. 11. verſ. 2. benè figuratum eſt in lib. Regum, ubi *Naas Ammonites* dixit ad viros *Iabes Galaad* quos oppugnabat: *In hoc feriam vobiſcum fœdus ut eruam omniũ veſtrûm oculos dextros.* Naas enim interpretatur coluber, & apertè deſignat malitioſam Diaboli verſutiam, qui per venenatos ſuos inſtinctus, abſque temporis intervallo homines bonos impugnat, ut in eis charitatem extinguat. Nam per oculum ſiniſtrum animæ intelligitur ſplendor & lumen cognitionis, per oculum autem dextrum fervor divinæ charitatis; oculũ verò dextrũ ipſe *Naas*, id eſt, ſuggeſtio Diabolica nititur eruere, quia præ omnibus aliis amorem divinum in nobis conatur extinguere, ſciens ſine charitate nullum bonum homini ſufficere ad ſalutem. Unde ſicut venenum, ad cor, quod eſt vitæ humanæ principium dirigitur, ut ipſum extinguat; ita inſtinctus Diabolicus nititur præcipuè charitatem extinguere, quæ eſt principium ſpiritualis vitæ.

Præterea

Præthereà nititur etiam charitatem in homine extinguere, ut ipſum reddat impotentem & inhabilem ad reſiſtendum ſuis machinationibus. Patet hoc ſimile in actibus naturalibus. Sicut enim realiter videmus; quod privatus oculo dextro redditur inutilis in bello materiali, eò quòd bellans ſiniſtrum oculum, & latus clipeo obtegit, & dextro ictus adverſarij declinat & evadit: ſic mens charitate privata redditur inutilis in bello ſpirituali. Eſt autem notabiliter advertendum, quòd iſtum oculum dextrum diabolicus inſtinctus in quibuſdam evellit multum patenter; putà in his qui pravâ ſuâ voluntate, illius perverſis inſtinctibus promptè conſentiunt: in quibuſdam autem, & maximè in viris perfectis, ipſum evellit multum latenter, ut cùm veram puritatem divini amoris latenter & ſucceſſivè, quaſi ſub ſpecie pietatis in eis obnubilat, & amorem divinum in carnalem transformat. Qualiter autem hoc contingat, multum ſubtiliter aperit *S. P. Auguſtinus* dicens: Amor ſpiritualis per inſtinctum Diabolicum quandoque generat adfectuoſum, adfectuoſus obſequioſum, obſequioſus familiarem, qui in hoc conſiſtit, quòd homo cum aliquâ perſonâ devotâ gliſcit habere colloquia privata & convictus familiares. Ac ideò ab iſto amore plus cavendum eſt viris perfectis, quàm à duobus præcedentibus, quia per ipſum puri- August.

tas

tas divini amoris plus contaminatur, & mens ſpiritualis per hoc ad amorem carnalem allicitur. Ideoque ſubdit idem *Auguſtinus:* Amor autem familiaris ſæpè generat carnalem. Et hoc contingit etiam in viris perfectis, quia prout idem Auguſtinus dicit in libro de ſingularitate Clericorum; Crede mihi, expertus loquor, ex multâ familiaritate feminarum multos cedros libani cecidiſſe cognovi, de quorum lapſu non minùs dubitabam, quàm *Ambroſij*, vel *Hieronymi*.

Propter quod Apoſtolus vas ſingulare Virginalis puritatis contra eos invehitur, qui puritatem divini amoris carnali amore contaminant, dicens: O *inſenſati* & ſtulti *Galatæ, quis vos faſcinavit, ut cùm ſpiritu cæperitis, nunc, carne conſummemini.* Et iſtud periculum nullus poterit melius evitare, quàm qui vitat familiare conſortium feminarum, etiam quantumcumque devotæ vel religioſæ exiſtant, quia ut dicit *Auguſtinus* libro prædicto: *Sæpè ſub ſpecie religioſitatis occultatur viſcus libidinis.*

Ad Gal. 3, v. 1. & 3.

CAPVT VI.

Inſtinctum naturalem ſummè vitandum homini in ſcientiâ & ſanctitate proficere volenti.

QVartus inſtinctus dicitur naturalis, qui ſummoperè eſt vitandus, quia nimis periculosè

Digitized by Google

riculosè impugnat hominē ſpiritualiter proficere cupientem. Ad cujus majorem evidentiam eſt conſiderandum, quòd homo ſpiritualiter proficere deſiderans, vel conatur proficere in augmento ſcientiæ, & cognitione veritatis, vel in augmento gratiæ & ſanctitatis: utrobique autem neceſſarium eſt ei benè cognoſcere ſubreptionem & motum naturalis inſtinctus, aliàs ſæpè multa impedimenta & incommoda patietur. Illi enim qui conantur proficere in ſcientiâ, & cognitione veritatis, multoties abducuntur à vero per inſtinctum naturalem; Sæpiùs quippè creditur eſſe gratiæ, quod eſt naturæ. Quare *Auguſtinus* dicit, quod lumen naturale ſit difficile diſcernere à lumine gratiæ, ſicut etiam actum qui elicitur à lumine naturali difficile eſt ſecernere ab eo, qui elicitur à lumine gratiæ; idque propter ſimilitudinem & convenientiam actuum prædictorum. Non conſtat tam lumen naturale, quàm lumen gratiæ dictare homini, Deum ſuper omnia diligendum, & idcircò non poteſt homo luculenter diſcernere utrum illum actum dilectionis eliciat virtute luminis naturalis, an gratuiti. Et ſic poteſt intelligi illud: *Nemo ſcit, utrum amore, an odio dignus ſit*; hoc eſt, utrum actus ſuæ dilectionis charitate ſit informatus, an verò procedat à puro lumine naturali. Ideoque magis conandum eſt viro bono, ut quan- Eccleſ. 9. verſ. 1.

tum poteſt cognoſcere ſtudeat quando moveatur inſtinctu naturali, & quando non. Ad hoc autem cognoſcendum poteſt quis induci triplici ſigno.

§. I.

Inſtinctus naturæ mentem in ſcientiâ proficere volentis, per multa phantaſmata diſtrahit, gratiæ autem eam cum Deo unit.

PRimum ſignum eſt, quod iſtorum ſcientia & intellectus liberè ſpargitur ad ſpecierum & phantaſmatum multitudinem, & non recolligit ipſos ad mentis unitatem, eſtq; hoc evidens ſignum inſtinctus naturalis, ſemper enim conatus naturæ tendit ad hoc ut generet ſibi ſimile: conatus verò gratiæ ad hoc tendit, ut mens cum ipſo Deo tanquam ſuo ſimili uniatur. Unde videmus, inflammatione naturalis inſtinctus hominem loqui verba rara, grandia, alta, ſubtilia, & quæ alios in admirationem capiant, illa quippè judicat eſſe conformia perſpicacitati ſui intellectus: ſed homo inſtinctu gratiæ ſolum quærit, ut mens ſua cum Deo familiariùs & intimiùs uniatur, quia hoc ſuæ ſaluti magis accommodum reputat & agnoſcit. Ex quo ſequitur vlteriùs, quod verba quæ dicuntur ex inſtinctu luminis

nis naturalis, licèt videantur grandia in prolatione & apparentiâ, ſunt tamen prava & modica in fructu & reali exiſtentiâ; E contrario verò verba quæ procedunt ab inſtinctu gratiæ, etiamſi videantur ſimplicia & humilia in apparentia, ſunt tamen magna in fructu interiori, & exiſtentiâ veritatis. Quare benè dicit Apoſtolus: *Scientia inflat, charitas autem ædificat.* Unde dicit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Sicut enim cymbalum tinniens alios quidem confortat, ſeipſum autem conſumit & extenuat: ſic illi qui naturalem ſequuntur inſtinctum, alios quidem ſuo labore ad intelligentiam ſummæ veritatis invitant, ſed ſine interiori fructu ſeipſos enervant.

1. Cor. 8. 1.
1. Cor. 13. verſ. 1.

§. II.

Inſtinctus naturalis inflat, Divinus humiliat.

SEcundum ſignum eſt, quod naturalis inſtinctus hominem inflet & ad magnam ſuiipſius æſtimationem ac complacentiam inſtiget: gratiæ verò inſtinctus, quantumcumque homo profecerit, ipſum tamen ſemper magis magiſque in propriâ æſtimatione dejiciat & extenuet. Hinc videmus inſtinctum

 naturalem

Digitized by Google

naturalem ſequentes de ſuis conceptibus gloriari & extolli, ut nullum eis ſimilem arbitrentur. O vanam & tranſitoriam gloriationem! Illi ſiquidem nullum æternæ beatitudinis fructum aſſequuntur. Ideoque benè ſcribitur: *Gaudium hypocritæ adinſtar puncti.*

Job 20.5.

Prov. 4.18. E contrà autem, *gaudium juſtorum* eſt *tanquam lux procedens & creſcens vſque ad perfectam* æternitatis *diem.* Cùm enim illi in præſenti vitâ ſeſe per humilitatem in propriâ æſtimatione deſpiciant, in æternâ beatitate merentur extolli & ſuper alios ſublimari. Satis id evidenter in Sanctis viris claruit, qui quòd in dictis & factis ſuis in præſenti vitâ ſeipſos vilipenderunt, notabiliter in dies in hominum devotione exaltantur, & à Deo mercede felicitatis æternæ remunerantur. E contrà verò Philoſophi qui ſeipſos & veritates à ſe conceptas magnis boatibus extulerunt, in ſeipſis dictiſque ſuis citò in hominum oblivionem abierunt.

§. III.

Inſtinctus naturalis minuit divinæ dilectionis fervorem, divinus auget.

TErtium ſignum, quòd inſtinctus naturalis, in conatu & fervore proficiendi facit hominem tepeſcere, & minuit in ipſo divinæ dilectionis ardorem: ſed gratiæ inſtinctus

Digitized by Google

ctus auget proficiendi conatum & ardorem divinæ dilectionis. Ideoque videmus in hominibus naturalem inſtinctum ſequentibus, quòd cum ipſis inſtinctu divinæ gratiæ aliquis conceptus ſpiritualis & utilis inſpiratur, ita illum per multiplicem ſubtilitatis diviſionem extenuant & enervant, ut parvum inde ſaporem internæ devotionis & divinæ veritatis percipiant. Sequens autem inſtinctum divinæ gratiæ veritate ſic inſpiratâ ſic utitur, ut per ipſam in cognitione & amore divino magis adjuvetur: cùm enim toto niſu mentis ad eam ſe convertat, veritas inſpirata illi redditur ſapida, mentemque illius luce propriæ claritatis irradiat. Atque hinc apparet diverſitas motivi & intentionis quâ ſcripſerunt Sancti, & quâ ſcripſerunt Philoſophi. Conſtat quippè Sanctos ſcripſiſſe ex pleno fervore & devotione cordis ſui: Philoſophi verò videntur ſcripſiſſe ex ſenſu proprio & ſubtilitate proprij intellectus. Quamobrem etiam verba Sanctorum prolata & concepta ſunt menti devotæ multum ſapida, & quaſi unguentum quoddam internæ ſuavitatis: ubi verba Philoſophorum ſunt devotæ menti inſipida, ejuſque devotionem quodammodo exſiccantia.

Atque hinc ulterius oritur, quòd ille, qui altâ mente fœcunditatem & plenitudinem devotionis, ex quâ doctrina Sanctorum dignoſcitur emanaſſe, pertractaret, in tentatio-

ne foret poſitùs, refrigeraretur, & ſi in devotionis torpore eſſet, accenderetur, & in fervore divinæ gratiæ augeretur. Quorum oppoſita eveniunt hiſce, qui diligenter advertunt vanitatem cordis & præſumptionem propriæ æſtimationis, ex quibus doctrina Philoſophorum dignoſcitur orta. Neque mirum, ſi diverſi effectus, ex diverſis motivis & intentionibus proveniant. Idem enim videtur accidere lumini naturali, & gratuito quod accidit duobus hominibus ſibi mutuò terga vertentibus, qui à principio ſibi maximè ſunt conjuncti, ſed in progreſſu, quantò magis procedunt, tantò longiùs à ſe diſtant. Sic ſequens inſtinctum naturalem totus convertitur ad ſeipſum & avertitur à Deo, ideoque neceſſe eſt tergum Deo vertat: Sed qui ſequitur inſtinctum divinæ gratiæ, totaliter averſus eſt à ſeipſo & à propriâ complacentiâ, adeoque dorſum vertit ad ſeipſum; faciem verò plenè convertit ad Deum, per quem tota vita ipſius inſpiratur & dirigitur in ea quæ ſunt ſalutis. Quapropter *Auguſtinus* audito nomine & vita ipſius *Antonij* dixit *Alipio* & ſociis, *Quid*
8. Conf. 8. *patimur? quid eſt hoc quod audiſti? Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce, ubi volutamur in carne & ſanguine.* Unde Chriſtus de gratia ſimplicibus collata, & iis ſubtracta qui ſibi ſapientes videbantur, Patrem cæleſtem clarificat, ita dicens;

Confiteor

Confiteor tibi Pater cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, hoc eſt, ab illis qui ſibi in oculis propriis ſapientes & prudentes videntur, *& revelaſti ea parvulis*, humilibus, inquam, qui ſeipſos in propriâ æſtimatione nihili faciunt, ideoque per te ineffabili gloriâ ſublimantur. Quam nobis præſtare dignetur, &c. Matth. 11. verſ. 25.

CAPUT VII.

Inſtinctus naturalis proficere in ſanctitate & gratia volentem impugnat quoad dona gratuita interiora.

Viſo quomodo naturalis inſtinctus impugnet hominem proficere volentem in ſcientiæ & cognitionis naturalis augmento, reſtat oſtendere qualiter impugnet proficere volentem in augmento gratiæ & ſanctitatis. Proficiens autem talis impugnatur dupliciter: primùm quantum ad dona gratuita interiora in quibus ſanctitas interior formaliter conſiſtit. Secundò quantùm ad exercitia exteriora in quibus actus virtutum effectu exercentur.

Porrò tria ſunt dona gratuita interiora, quæ homo devotus ab ipſo Deo conſequitur.

Primum ut homo beneficia divina ſibi jugiter conceſſa meditetur.

Digitized by Google

Secundum ut in virtuoſis exercitiis dulciter delectetur.

Tertium vt in mentalibus deliciis divinæ contemplationis & intimæ unionis delectabiliter voluptetur.

§. I.

Meditationem beneficiorum Dei conſiſtere in tribus: & quàm ſubtiliter naturalis inſtinctus ea impugnet.

MEditatio autem divinorum beneficiorum conſiſtit in tribus.

Primò quidem in meditatione acerbitatis paſſionis Dominicæ.

Secundò in meditatione divinæ providentiæ & pietatis, perpendendo ſcilicet quàm piè Deus paternâ ſæpè providentiâ hominem cuſtodiat à lapſu multiplici, in quem ex fragilitate laberetur niſi ipſum miſericorditer præſervaret.

Tertiò in meditatione ubertatis divinorum chariſmatum, quæ Deus ſuis amicis tam affluenter largitur, tam in vitâ præſenti, quàm in futurâ: in hiſce enim tribus beneficiorum divinorum meditatio propriè conſiſtit.

Sed hîc diligenter attendè, quàm ſubtiliter naturalis inſtinctus prædicta tria impugnet. Cùm enim homo inſpiratione divinæ gratiæ

gratiæ aliquando ſubvehitur ad prædicta, vel aliquod eorum dulciter meditandum, ſubreptione naturalis inſtinctus ſæpiùs ingeritur homini aliud ſpirituale bonum cum quadam complacentiâ & delectatione cogitandum, ut hoc modo fructus prioris devotionis hominis ſubtrahatur. Fructus autem quem divina gratia incendit, nihil aliud eſt quàm mortificatio omnium naturalium delectationum carnis & mundi, abſtractio ab amore terrenorum ſuique ipſius; ac ſoli Deo vivere. At quia hæc non benè patitur amor recurvus & naturalis, quem homo habet ad ſeipſum; ideò naturæ inſtinctus præfert homini aliud bonum ſpirituale cogitandum, ut ſic ipſum à perſeverantiâ devotionis prius conceptæ revocet.

Quicumque verò talem naturæ inſtinctum admittit, procul dubio in duplicem defectum labitur; minuitur quippè in eo & tepeſcit, fervor & conatus proficiendi, deinde dulcedo devotionis illius extinguitur & marceſcit; quæ neceſſariò ideò extenuatur, quòd voluntariè mentem ſuam è devotâ illâ meditatione averterit, quam divina gratia cœlitus inſpiraverat. Et hæc videtur certa cauſſa, quare tam pauci homines reperiantur perfecti, quia pauci ſunt qui in mentali devotione jugiter perſeverent, & fluxu volubilium cogitationum non laborent. Neceſſarium eſt

 igitur,

igitur, ut ubi eſt inſtinctus gratiæ, aut quo movet & inclinat, illuc concurrant cogitationes mentis. Videtur hoc ſubtiliter innui
Ezech. 1. 12. & 20. Ezechielis 1. cùm dicitur, *ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur animalia*, & rotæ pariter ſequentes ea. Per *impetum ſpiritus*, vivificam motionem divini inſtinctus; per *animalia* quæ ſolo ſenſu ſunt prædita, vires animę inferiores corpori adfixas: *per rotas volubiles*, intelligo vires, & cogitationes animæ omnes, ſpecialiter ipſam voluntatem omnium volubiliſſimam, quæ omnes animæ vires ad exercitia virtuoſa movet & impellit. Videtur ergò dictis verbis Propheta nihil aliud velle dicere, quàm quòd ad quamcumque devotionem homo divino inſtinctu impellitur, in ea ferventer debeat continuare, tam per actus virium inferiorum, quàm ſuperiorum. Quicunque autem ſe in illâ devotione ad quam divinitus ſæpiùs inſpiratur, ferventer exercet, ille ſine dubio non ſolùm in devotione inceptâ perſiſtet, verùm etiam fœcunditate divinorum chariſmatum notabiliter incrementum ſentiet. Quare anima devota, dona divinitus accepta per devotam gratiarum actionem in Conditoris ſui laudem piè refundat, ſi deſideret eadem ſibi à divinâ largitate copioſiùs augeri. Id Salomon videtur innuere dicens:
Eccleſ. 1. 7. *Ad locum undè exeunt flumina, revertuntur ut iterùm fluant*. Maximè

ergò

Digitized by Google

ergò attendendus eſt divinus inſtinctus, & ſequendus quàm diligentiſſimè, & eo abeunte humillimè Deo agendæ gratiæ, *ut unde exeunt flumina, revertantur.*

§. II.

Delectationem actuum virtuoſorum perfici devotâ oratione, internâ devotione, & gratiarum actione.

SEcundum donum divinitus homini collatum eſt, quòd in virtuoſis exercitiis jugiter delectetur, perficiturque tribus. Primò, ex vigore devotæ orationis, per quem mens devota in Deo ſuſpenditur & ad guſtum internæ dulcedinis elevatur. Ideoque dicit Dionyſius: *Oratio eſt aſcenſus mentis in Deum;* & iterùm: *Oratio eſt velut aurea catena lucis,* quâ mens per devotionis actus ſurſum trahitur, eorumque continuatione in Deo ſuſpenditur.

Secundò ex fervore internæ devotionis, quâ mens divinitùs inſpirata ſe nititur ferventer exercere, & hanc homo aſſequitur fervidò conatu, quia ſecundum *S. Auguſtinum*, Magnitudini doni debet correſpondere magnitudo deſiderij. Quia igitur interna devotio tantum donum eſt, quod ejus influentia à ſolo Deo dependeat, ideò congruum

gruum eſt, ut mens devota ferventi deſide-rio ad illius conſecutionem aſpiret.

Tertiò ex vigore gratificæ refuſionis, quâ mens virens in Dei laudibus, ſingulas vires cum omnibus Dei donis ſibi collatis, devotâ gratiarum actione in laudem Creatoris jugiter refundens interiorem devotionem copioſiùs percipit.

§. III.

Quomodo inſtinctus naturalis prædictis adverſetur.

VErùm diligenter attendè quàm ſubtiliter etiam inſtinctus naturalis prædicta tria impugnet. Vigorem ſiquidem devotæ orationis, & fervorem internæ devotionis impugnat quâdam negligentiâ & curioſitate, vigorem verò gratificæ refuſionis divinæ laudis, quadam parvipendentiâ & contemptu boni operis. Cùm enim homo inſpiratione divinæ gratiæ, vel ad orationis vigorem, vel devotionis accenditur dulcedinem, nonnunquam inſtinctus naturalis ſurreptione, ingeritur ipſi aliud bonum ſpirituale, & curioſum cum aliquali complacentiâ magnitudinis & exceſſus, ita ut videatur ad aliqua potiora cogitanda mentaliter evocari, quò ſubtrahatur ei fructus orationis & internæ dulcedinis.

dinis, ad quam motus divinæ gratiæ inſpiraverat: & conſequenter perit vigor gratæ recognitionis divinorum donorum ex vilipenſione boni operis. Quia enim donis à Deo acceptis ſe reddit indignum, juſto Dei judicio ei ſubtrahuntur. Hinc Salvator ait: *Omni habenti dabitur*, quaſi dicat, ei qui per gratam divinæ laudis recognitionem dona divinitùs accepta in ſuum originale refundit principium, illi utique per influxum divinæ largitatis *dabitur* bonorũ major copia, *& abundabit: ab eo autem qui non habet* gratitudinem recognitionis divinorum donorum, *etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.* Benè proinde Bernardus: *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, & fluenta gratiæ.*

Luc. 19. verſ. 26.

§. IV.

Hominem aſſequi guſtum internæ dulcedinis, exteriorum abſtractione, intimâ ſuiipſius recollectione, & ignitæ charitatis transformatione.

TErtium verò donum quod eſt in divinis deliciis mente delectari, aſſequitur homo tribus.

Primò abſtractione à ſẽſibilibus & exterio-

ribus

ribus rebus, & fervidâ erectione mentis in Deum, quâ eum quaſi intimo ſuæ mentis ferventique deſiderio complectitur, ac in eo quieſcit, ut impleatur quod ſcriptum eſt: *In-*
Sap.8.v.16 *trans in domum meam conquieſcam cum illâ, Sa-*
pientiâ ſcilicet increatâ: quia reverà divina præſentia quæ in intimo mentis lucet, eſt animæ incomparabiliter clarior omni luce, di-
Iſa.18.v.4. cente Scripturâ: *Sicut lux meridiana clara eſt.*

Secundò aſſequitur homo idem donum per ſuiipſius intimam recollectionem & perfectam mentis ſimplificationem. Nam ſecundum *Auguſtinum, ſolo puriſſimo & ſimpliciſſimo mentis oculo attingitur guſtus divinæ pietatis.* Ratio eſt, quia ſimplicitas animæ eſt quaſi quædam imago exemplata & educta ex ſimplicitate divinâ, ideoque naturalem habet conformitatem & convenientiam cum ſuo exemplari. Et quia ſimilitudo eſt cauſſa & principium unionis, quicunque deſiderat ſine impedimento Deo mentaliter uniri, permaneat jugiter quantum conditio naturæ patitur, in ſuæ mentis perfectâ ſimplificatione, & poterit quaſi ad libitum uniri cum
12. Conf. ipſo Deo. Unde idem *S. Auguſtinus, dimittam*
16. *foris ſufflantes in pulverem, & excitantes terram in oculos ſuos, & intrem in cubile meum, & cantem tibi amatoria, & non avertar donec in ejus pacem colligas totum, quod ſum, à diſperſione & deformitate hac, & conformes in æternum.*

Tertiò

Tertiò aſſequitur idem homo ignitæ charitatis transformatione; amor enim Dei mentem eò ducit ut Deo omnimodò velit ſe conformari, nec ab eo ullo modo deficere. Unde *Bernardus: Oculus amoroſus ſine intermiſſione intuetur ſpeculum divinæ claritatis, & ſummopere cavet, ne vel leviter unquam aliquid faciat, vel concupiſcat, quod oculos divinæ Majeſtatis offendat.* Quapropter mirum non eſt ſi divina præſentia talem mentem paſcat internæ guſtu divinæ ſuavitatis.

§. V.

Qualiter inſtinctus naturalis impediat prædicta.

Naturalis autem inſtinctus impedit delectationem divinæ præſentiæ ingerendo aliquid cogitandum vel appetendum, quod quidem ſpirituale ſit, ſed non ita deiforme, ut ipſa mens per id omnibus naturalibus cogitationibus & delectationibus ſibique ipſi ac mundo funditus moriatur, & ſoli Deo vivat, ut poſſit veraciter cum Apoſtolo dicere, *vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Gal. 2. v. 20. Naturalis etenim inſtinctus ſagacitate ſuâ nititur menti hunc gratiæ ſpiritualis fructum ſurripere, & omnibus actionibus meritoriis ſe permiſcere: & ideò ejus

motus

motus eſt diligenter obſervandus, ſiquidem *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus.* Quia nimirum ſolus Deus ſcrutatur iſtas cordis humani profundas ſagacitates & pravitates, & ſolus ejus inſtinctus diſcernit eas, cum reſidet in mente ſanctâ & purâ à carnalibus cogitationibus & delectationibus ſibi & mundo prorſus mortuâ, & pleno deſiderio Deo vivâ. Quod ſubtiliter videtur innuere Joãnes dicens: *Vincenti* perfectè concupiſcentias ſuas, *dabo calculum novum*, id eſt influxum divini luminis, *& in calculo nomen novum*, hoc eſt, novam cognitionem: *quod nemo novit, niſi qui accipit*, id eſt cui per revelationem divinæ inſpirationis hoc ſcire donatum fuerit. Atque hoc eſt vera & certa cauſſa, cur tam pauci inveniantur perfecti: quia nempè pauci ſunt, qui cùm pervenerint, ad conjunctionem immediatam animæ cum Deo, non convertant cor ad alia, etſi ſpiritualia, impulſu ſagacitatis & pravitatis cordis, ſive naturalis inſtinctus. Idque ideò accidit, quòd pauci permittant ſe abſtrahi, & in ſuis deſideriis annihilari, totumque ſuum affectum transformari in Deum. Amor enim naturalis recurvat hominem ad ſeipſum, & naturalis inſtinctus ſagacitas quærit vias, quibus hanc annihilationem refugiat: cum è contrà mens devotâ divinâ gratiâ inflammata, adeò viriliter reluctetur

Hierem. 17. v. 9.

Apoc. 2. verſ. 17.

Digitized by Google

ſtetur prædictis, ut veraciter poſſit dicere cum Apoſtolo: *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*; quaſi dicat, Theſaurum & lucrum mihi reputo, propriis concupiſcentiis mori eiſque perfectè reſiſtere, namque hinc indubitatè conſequor, quòd ſoli Chriſtò vivam, ejuſque me beneplacitis & exemplis conformem. Quam conformationem nobis præſtare dignetur. Ad Philip. 1. verſ. 21.

CAPUT VIII.

Naturalis inſtinctus impugnat exercitationem virtutum tripliciter.

Diximus quomodò inſtinctus naturalis impugnet hominem proficere volentem in augmentô gratiæ & ſanctitatis, quoad dona interiora, quibus ſanctitas formaliter perficitur: oſtendemus jam quomodo impugnet eundem quoad exercitia exteriora, in quibus actus virtutum effectualiter exercentur. Adverte autem quantum ad præſens attinet, exercitationem virtutum in tribus eſſe poſitam: primò in ferventi deſiderio omne bonum virtutum, quod Deus dederit, pro ejus gloriâ liberè exercendi. Secundò in ſui dejectione, quâ putat ſe nihil adhuc eſſe adeptum, reſpectu eorum, quæ ſibi adipiſcenda ſuperſunt, & quæ ſperat ſe adeptu-

 rum.

rum. Tertiò in ferventi deſiderio ferendi omne malum, quod Deus immiſerit.

§. I.

Quomodo naturalis inſtinctus pugnet contra primum, modicâ bonorum operum appretiatione, contra ſecundum verò, faciendo hominem deſidioſum in bono.

SEd hîc diligenter adverte, quàm ſagaciter inſtinctus naturalis inſidietur tribus prædictis: & quidem primò bonorum operum modicâ appretiatione; cùm enim hæc appretiatio naſcatur ex lumine ſupernaturali, quod natura facilè repellit, aut facto negligit; naturæ ars ita callidè novit extenuare opera virtuoſa & meritoria, ut multos etiam bonos in torporem deſidiamque exercitij virtuoſi inducat, operaque ipſa inſipida ac inſuavia reddat, ut pleniùs mox apparebit.

Secundò autem verſutia naturæ ita homini inſidias novit tendere, ut eum ſibi conſentientem reſolvat, bonorumque operum negligentiam & diſſimulationem incurrat, & molli quodam adfectu in proprium commodum ferventius inclinetur. Porrò quicunque diligentiùs adverteret fructum quem conſequeretur ſi amore Dei, ſomnum, verbi gratiâ,

Digitized by Google

tiâ, interrumperet, & ad orandum ſurgeret, commodumque prætermitteret proprium, non ſic deſidia torperet, nec periculosè adeò reſolveretur, plurimaque damna, in quæ modò propriâ incuriâ incidit, evaderet. Quamobrem benè & graviter Magnus ſcribit Gregorius: *Omnes hujus ſaculi dilectores in terrenis rebus fortes ſunt, in cæleſtibus debiles. Nam pro temporali gloriâ vſque ad mortem deſudare appetunt, & pro ſpe futurâ, ne parum quidem in labore perſiſtunt. Pro terrenis lucris quaſlibet injurias tolerant, pro cæleſti mercede, vel tenuiſſimi verbi ferre contumelias recuſant: terreno judici toto etiam die aſſiſtere fortes ſunt; in oratione verò coram Domino, vel unius horæ momento laſſantur. Sæpè nuditatem, dejectionem, famem, pro acquirendis divitiis atque honoribus tolerant, & earum rerum ſe abſtinentiâ cruciant, ad quas aſſequendas feſtinant: Superna autem laboriosè quærere tantò magis diſſimulant, quantò ea retribui tardiùs putant.* Lib. 19. Moral. cap. 16. & habetur 1. p. Decret. diſt. 47. C. *Omnes.*

§. II.

Nimiùm mollitiei ſtudens, ferventiuſque proprium commodum proſequens, tria damna incurrit.

Obſerva autem illum qui nimiæ mollitiei ſtudet, nimiſque ferventer pro-

prium commodum proſequitur, in tria damna incidere.

Primum, lumen naturalis rationis in talibus deſidioſis ſic abſconditur & obtenebratur, quòd eo in exercitio virtuoſo nunquam uti poſſint. Hujuſmodi namque effeminati & molles tantoperè ſunt recurvi ad ſeipſos, quòd in omnibus proprium commodum & complacentiam quærant, adeòque in omnibus actibus ſuis à perfectæ virtutis ratione degenerant; & nunquam opus ſimpliciter virtuoſum eliciunt.

Secundum, Divinis ſemper inſtinctibus monitionibuſque plus cæteris reluctantur. Etſi enim Deus piâ ſuâ benevolentiâ ac paternâ providentiâ ipſos, ſicut alios ſuis inſpirationibus ad bonum movere non ceſſet, nimiâ tamen mollitie deſidiaque cunctas vias obſtruunt, per quas divinum eis beneplacitum poſſet prodeſſe. Quare juſtè conqueritur
Iſa. 65 v. 2. *totâ die expandi manus meas*, influxum meæ inſpirationis *ad populum non credentem*; ſed mihi meiſque inſpirationibus jugiter *contradicentem*, ne corda eorum emolliantur.

Tertium denique ſequitur ex prædictis, quòd nimirum ſemetipſos ita adverſus virtutem, præcipuum animæ bonum, impugnant, ut Diaboli vice contrà ſeipſos fungantur; atque adeò ſuperfluum ſit eos Diabolicis ſuggeſtionibus fatigari. Etenim prava illa inclinatio,

clinatio, quâ ſeipſos, ſuaque deſideria proſequuntur, abundè illis impugnatio eſt. Vnde hoc damnum ſi diligentiùs attendatur, magnam ſtatim iſtorum cæcitatem & ſtoliditatem arguit, quod ſcilicet Deo ſuâ benignitate illos à tentationibus liberante & præſeruante, imò ipſo Diabolo, capitali hominis hoſte, etiam quandoque tentare omittente, ſibi ipſis tàm inſidiosè vim, damna, laqueos tendant, quòd bona opera quæ faciunt, ſuâ negligentiâ & oſcitantiâ ita extenuent, vt nec ſibi ipſis ſapiant, nec Deo grata exiſtāt. Eſt igitur perpetuò fovendus fervor deſiderij exercendæ virtutis, & in viâ ſpiritus proficiendi; quod etiam ipſe Salvator optare ſe oſtendit, dicens: *hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit*, id eſt, vt opera veſtra tanto fervore eliciatis, ut de vobis gaudeam, ac in veſtris operibus mihi complaceam, *& gaudium veſtrum impleatur.* Ioan. 15. 11.

 §. III.

Digitized by Google

§. III.

Quomodo naturæ inſtinctus impugnet hominem mala quævis pro Dei amore, æquo animo ſuſtinere paratum.

INitio hujus capitis dictum eſt, exercitium virtutum etiam conſiſtere in ferventi deſiderio, quodvis malum à Deo immiſſum, pro ejus amore æquanimiter tolerandi; quod naturalis inſtinctus impugnat allegatione innocentiæ propriæ, aut jam peractæ ſufficientis ſatisfactionis de præteritis peccatis, prætendendo quod indebitè patiatur, & immeritò ac ſine cauſſa talia ſuſtineat, &c. Eſt enim naturæ proprium nihil velle pati, omniaque adverſa fugere, quantum poteſt, ideoque ſagaciter omnes vias perquirit, ut hæc euadat. Cæterùm vir proficiens, qui de naturâ & ſeipſo triumphare deſiderat, pro xenio ſpirituali habet adverſa & contraria perpeti; quamquam innocens ſit, & jam pro antiquis culpis ſatisfecerit; hoc ſaltem nomine ut conformitatem cum vita Chriſti habeat, qui amariſſimę paſſionis pondus in ſupremo
1.Petr.2.21. pro nobis pertulit, *nobis relinquens exemplum ut ſequamur veſtigia ejus.*

Et vere

Digitized by Google

Et verè hæc veſtigiorum ipſius ſequela cuivis Chriſtiano dulcis & ſuavis eſſe deberet:

Primò propter ſpem futuri pręmij; laborem Agricolæ, militi, nautæ, mercenario, quantumcunque gravem & difficilem, ſuavem valdè & levem reddit ſpes lucri & pręmii: quod ſi miles Chriſtianus animum ab hiſce terrenis & caducis, & in ipſum cælum transferat, cogitando mercedem æternam, nihili faciet labores, tribulationes, anguſtias omnes, &c. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, inquit Apoſtolus. *Et id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hâc ſpe tanquam ſudario quodam omnem abſtergebat Paulus ſudorem, omnes ſuperabat moleſtias, & tribulationes cum gaudio devorabat, dum in unâ lance pondus æterni pręmij collocat, in alterâ autem cunctas adverſitates pro Chriſto exantlandas ſtatuit. 2.Cor. 4.

Secundò propter exemplum Chriſti, & Sanctorum, ac propter ejus auxilium: exemplum enim illorum cogere videtur hominem. Leve fuit nobilibus Abimelech arborum ramos humeris ferre, videbant namque Ducem præcedere. *Acceptâ ſecuri præcidit* Iudic. 9. 48

arboris ramum, impoſitumq́ humeris ferens, dixit ad ſocios, quod me videritis facere, citò facite. Abimelech arboris ramum, Chriſtus Crucem humero fert regio, nobiſque ait, *quod*
Matt.16.24. *me videritis facere, citò facite. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me*, quem multa militum millia alacri lætoq; animo ſequuntur, &c. Imò
Pſal. 90.15. meo tibi auxilio adero. *Cùm ipſo ſum in tribu-*
Pſal.22.4. *latione, eripiam eum & glorificabo eum.* Et David; *ſi ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Tertiò veſtigia Chriſti ſequi dulce & ſuave eſt, quia pœnas, acerbitates, horrores Crucis, mortis, tribulationum & adverſitatum Chriſtus ipſe ſuâ paſſione abſtulit, uti Vnicornis intinctu cornu ſui omnia aquæ venena aufert, & depellit, vt cætera animalia liberè bibant. Quapropter ait: *Torcular calcavi ſolus*; non dicit amara & acerba, pœnas, Crucem paſſus fui, ſed hæc omnia *ſolus calcavi*, non tantùm omnia ex amore ſuſtinendo, ſed
Iſaiæ 63.3. calcando. *Torcular*, id eſt, paſſionem, triſtitias, Crucem, mortem, perferendo, *calcavi ſolus*, vici & ſuperaui, quia illi rei quæ torculari comprimitur, omnis ſuccus medullarum extrahitur. Cùm itaque Chriſtus omnem amaritudinem cujuſlibet pœnalitatis expertus fuerit, & propter nobilitatem ſuæ comple-
xionis

Digitized by Google

xionis ſummos dolores in corpore & animâ, & in omni genere tormentorum paſſus fuerit, vt teſtatur loquens ad patrem: *Omnes fluctus tuos*, id eſt, omnes pœnas peccati, & fluctus ſententiæ tuæ, ut ſunt flagella, perſecutiones, opprobria, &c. *induxiſti ſuper me*, ideò maluit dicere quòd *ſolus torcular* paſſionis *calcaverit* ſolaque potentiâ vicerit. Patuit hoc in S. Agnete, Dorothea Virg. & MM. Andrea Apoſtolo, Laurentio &c.

§. IV.

Quomodo Chriſtus Torcular Paſſionis calcaverit ſolus cùm multi Sancti plurima amara fuerint perpeſſi.

CHriſtus verè dicere potuit, *torcular calcavi ſolus*, triplici ratione.

Primò ratione univerſitatis pœnarum, quia nullus unquam fuit qui uniuersè tot genera paſſionum perpeſſus fuerit, ſicut ipſe: paſſus enim fuit in omnibus corporis membris: in capite pungentium ſpinarum coronam, in manibus & pedibus fixuras clavorum, in facie alapas, ſputa, &c, in toto corpore flagella. In omnibus ſenſibus; in tactu enim flagellatus & clavis con-

fixus; in guſtu, felle & aceto potatus; in olfactu in loco mortuorum cadaverum fœtido appenſus in patibulo: in auditu, laceſſitus vocibus blaſphemantium, & irridentium; in viſu, vidit enim matrem dilectiſſimam, & quem diligebat diſcipulum triſtes juxta crucem ſtantes. Paſſus etiam fuit in omnibus, in quibus homo pati poteſt, in fama per blaſphemias, contra illum prolatas, in honore & gloriâ per irriſiones & contumelias ei illatas, in rebus & veſtibus quibus fuit ſpoliatus, in animâ per triſtitiam, tædium, timorem, in corpore per vulnera & flagella. Item paſſus fuit ab omni genere hominum, Gentilibus, Judæis, maſculis, feminis, à principibus & miniſtris eorum & plebæis.

Secundò ratione acerbitatis, nullus enim tam acerbos dolores paſſus eſt unquam, uti ipſe, & hoc propter optimam complexionem naturæ de Virgine ſumptæ & operatione Spiritus Sancti factæ. Ideoque in amaritudine paſſionis exiſtens clamavit ad patrem: *Salvum me fac Deus, quoniam intra-*
Pſal. 68. v. 1. *verunt aquæ* paſſionum *vſque ad animam meam,*
Iob 6. v. 4. quarum *indignatio ebibit ſpiritum meum.*

Tertiò ratione innocentiæ & puritatis. Nullus namque in tanta innocentia & puritate unquam paſſus eſt, ſicut ipſe. quia

peccatum

peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Quare ille qui exiſtimat ſe innocenter pati, talis utique vult Chriſto eſſe innocentior: & qui dicit ſe indebitè pati, vult regnum beatitudinis per aliam viam ingredi, quam Chriſtus ſuo nos exemplo docuit. Nam de ipſo ſcribitur: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Unde manifeſtum evadit, quantæ ſit cæcitatis & amentiæ, quòd homo peccator regnum beatitudinis abſque paſſione putet adipiſci, quod Chriſtus verus & naturalis hæres regni cæleſtis, abſque paſſionis amaritudine ingredi non potuit. Quare quilibet qui rectè amaritudinem paſſionis Chriſti conſideret, non ſolùm patienter, ſed voluntariè & gaudenter pro Chriſto patietur, quia voluntaria paſſio hominem regalificat, & de eâ gaudebit tanquam de arcâ ſibi divinitùs collatâ, per quam militiæ cæleſti indubitanter inſcribitur, & ipſi Chriſto perfectè conformatur.

1.Petr. 2.22.

Luc.24.26.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Homo quævis cum gaudio pro Chriſto pati debet, ob nobilitatem, fructum, & regalem paſsionis honorem.

AD hoc vt homo gaudenter pro Chriſto patiatur quælibet, moveri debet triplici ratione.

Primò ob nobilitatem patiendi, cùm enim Pater cæleſtis ſummè dilexerit filium, indubiè ipſum induit veſte nobiliſſimâ, hæc autem eſt voluntariè pati pro amore Dei & ſalute aliorum, quâ Deus filium ſuper omnes omninò homines honorauit. Conſtat autem quemlibet militem meritò gaudere & gloriari, quando eodem panno induitur & veſtitur cum filio Regis: meritò ergo homo magni honoris & gaudii loco habere debet, quòd pro Chriſto voluntariè patiatur, quia per hoc Chriſto in veſte nobiliſſimâ, quam ipſemet tulit, conformatur.

Secundò propter utilitatem & fructum paſſionis, qui noſcitur eſſe triplex.

Primus, quòd paſſio quemlibet voluntariè patientem ipſi Chriſto perfectè conformat, qui onus & moleſtiam paſſionis amariſſimæ triginta tribus annis pertulit, atque idcircò

Digitized by Google

idcircò voluntaria paſſio tantæ eſt dignitatis, ut Chriſtus pro ipsâ nihil aliud retribuat, quàm ſeipſum.

Secundus, quòd voluntaria paſſio quēlibet hominem in viribus proprijs perfectè reformet, ut declarat Auguſtinus libro de verâ Religione. Etenim homini quandoque videtur, quòd perfectè ſe ipſum devicerit, rebuſque omnibus creatis propter Deum gaudenter, patienter, & voluntariè renunciare poſſit: ſed quando actuali paſſione tangitur, tunc vires ſuas quiſque certitudinaliter experitur. Quippè ſi gaudenter, & ſine dolore, patienter ſuſtineat res ſibi tranſitorias, parentes, amicos, &c. ſubtrahi, ſignum & argumentum eſt, eos exiguo amore ab ipſo fuiſſe dilectos: ſi verò magno cum dolore, & impatientiâ ſuſtineat, procul dubio ſignum eſt, eos ſummo amore fuiſſe proſecutum.

Tertius, quòd voluntaria paſſio faciat hominem dignum omnibus bonis eximijs, quæ Deus ſuis amicis hîc in præſenti vitâ tribuit, & futurâ.

Tertiò ut homo, non ſolùm patienter, ſed etiã voluntariè & gaudenter pro Chriſto patiatur moveri debet, quòd voluntaria paſſio hominem regali honore ſublimet, & quod voluntariè pro Chriſto paſſi, regali Martyrum

tyrum aureolâ inſigniantur.

Videntur autem prædicta hæc tria, quibus homo ad voluntariè patiendum inducitur, congruè figurata Heſteris 6. cap. v. 7. vbi legitur, quòd homo quem Rex honorare voluerit, *debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum qui de ſellâ Regis eſt, & accipere diadema regium ſuper caput ſuum*. Ubi per *veſtes regias* intelligo *conformitatem divinæ aſſimilationis*, quâ homo induitur, ſi pro Chriſto voluntariè patiatur: quotieſcumque autem voluntariè & gaudenter pro Chriſto patitur; toties regijs ejus veſtibus inſignitur. Per *equum autem de ſellâ Regis*, qui ſedentem tam leviter portat, Chriſti intelligo manſuetudinem, in ſuæ paſſionis acerbitate oſtenſam, & quâ ſecundum *Auguſtinum* exemplar nobis omnium virtutum exhibuit. Toties ergò quiſque ſuper equum Regis collocatur quoties per veram Chriſti manſuetudinem, aliaque virtutum inſignia in paſſione voluntariâ delectatur. Per *diadema verò regium*, intelligo coronam æterni gaudii, quæ voluntariâ potiſſimum paſſione pro Chriſto victoriosè obtinetur, teſte Apoſtolo dicente: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*. Certum enim eſt neminem coronari in cæleſti gloriâ, gaudii cæleſtis præmio niſi hic illam in præſenti vitâ legitimè certando meruerit,

Heſt.6. v. 7.

2.Cor.2.v.5.

Digitized by Google

rit, & per imitationem Chriſti, de tribulationibus, injuriis, opprobriis pro ejus amore, ubi opus fuerit, toleratis, triumphauerit. Quod nobis donet, &c.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. F. P.

HENRICI

DE

HASSIA

DICTI

DE LANGHENSTEYN

AVGVSTINIANI

S. Theol. Doctoris Pariſienſis & Vniverſitatis Viennenſis in Auſtria

FVNDATORIS,

DE

DISCRETIONE SPIRITVVM

LIBER.

Bibliotheca Angelica

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA ET OPERIBVS VENER. PATRIS F. HENRICI DE LANGHENSTEYN DICTI DE HASSIA, ORDINIS ERIMITARVM S. AVGVSTINI.

Fr. Thomas Gratianus Prior Provincialis ejuſdem Ord. in Provincia Colonienſi in Anaſtaſi Auguſtiniani.

HENRICVS LANGHENSTEYN vulgò dictus de *Haſsia* natione Germanus, vir fuit apprimè tum ſacris, tum profanis litteris eruditus, præſtantiaque ingenij paucis æquandus. Is annos plures in expli-

Digitized by Google

catione libri Geneſios cùm hæſiſſet, & abſolutiſſimi interpretis munere functus eſſet, vix ad caput quartum libri perveniens, totidem volumina complevit: quod quidem ſagaciſſimi ejus ingenij fuit contemplationi dandum. Fuit hic priùs Wormatienſis Eccleſiæ Canonicus, quàm Ordinem Auguſtinianum profiteretur; plurimumque claruit in Academia Pariſienſi, quæ eum propter doctrinam laureâ Doctoris exornavit: deindè in Au-
1. ſtriam (1) miſſus, quod in eâ Viennenſis
2. Academiæ tum primum fundamenta (2) jaciebantur, tam docendò, quàm ſcribendo ſummam gloriam ſibi ſuiſque comparavit.

Ab oblivione vindicant hæc eum ſcripta.

Super ſent. lib. 4. Inſignes Commentarij: Mediolani in S. Marco MS.

In Geneſim, & prologum lib. 5.

De Anti-Chriſto & Schiſmate lib. 1.

De eruditione Sacerdotum lib. 1.

De contemplatione & anima contemplativa lib. 2.

Speculum animæ libr. 1. impreſſum 4°. & MS. 4°. bis.

De horis Canonicis lib. 1. MS. 4.

Contra Aſtrologos lib. 1. Multi Principes.

Super Orationem Dominicam lib. 1. Impreſſ. 4°. & MS. 4°.

Super Salutationem Angelicam lib. 1. Impreſſ. 4.

Super

Super Symbolum Apoſtolorum lib. 1.
De Contemptu mundi lib. 1.
Contra Fratrem Theoleſphorum libr. 1. MS. fol.
Contra quendam Wicleffiicum lib. 1.
Ad Canonicos Regulares lib. 1. MS. 4. & 8.
De proprietate Monachorum lib. 1.
Sermones de Tempore lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
Epiſtolarum ad diverſos lib. 1.
Quæſtiones variæ.

Claruit anno Domini 1400. (3) 3.

Tolle, manum tabulâ, quid docta volumina limas?
Omnis Ariſtarchus jam tibi mutus erit.

NOTÆ.

(1) Henricus noſter à nonnullis *Fundator ſeu plantator Vniverſitatis Viennenſis in Auſtria, & lumen totius Eccleſiæ* ſuo ſæculo appellatus, Galliam deſeruit ann. M. CCC. LXXXIV. in comitatu alterius *Henrici* viri pariter eruditiſſimi de *Cuta*, ſiue *Oyta* nominati, quem Abbas Spanheimenſis & Author faſciculi temporum ſummis laudibus attollunt. 1.

(2) Academia *Vienna in Auſtria* ann. M. CCXXXVII. *Middendorpio* lib. 3. Academiarum pag. 545. *Lazio & Edero* teſtibus in- 2.

ſtituta & erecta eſt à *Frederico* I I. *Henrici* V I. filio, *Oenobarbi* nepote, rerum Auſtriacarum cupidiſſimo: eandem *Albertus* I I. Archidux ſub *Carolo* I V. promovit; ejus denique filij *Rudolphus* I V. *Albertus* I I I. *Leopoldus* I I I. Archiduces velut in familiam ac domum benigniſſimè receptam ædibus Archiducali Palatio vicinis, Auguſtinianoque Cœnobio contiguis ſuâ munificentiâ magnificè foverunt.

De hiſce ergò primis *Gymnaſij Viennenſis* fundamentis nequeunt intelligi quæ hîc ſcribit R. P. Magiſter *Thomas Gratianus*, ſed de Academiæ, quam *Rudolphus* I V. ab *Auguſtinianorum* Collegio, ob Aulæ vicinitatem tranſtulit in domum, quam *Equites Templarij* jam olim poſſederant, Monaſterio PP. *Dominicanorum* proximam; quamque *Albertus* I I I. Theologicâ facultate ad pleniſſimam formam revocatâ, *Vrbano* V I. in publicam Academiam convertit. Ab hoc quippè tempore Univerſitati ultima velut manus adjecta fuit; & *Rectores Magnifici* aut primùm cœperunt legi, aut rectè ad faſtos Academicos primùm referri.

Hâc dignitate *Henricus* noſter clarus, vigeſimum *Rectoratum* per ea tempora ſemiannalem eâ gratiâ & auctoritate geſſit, ut ejuſdem ultimus vitæ dies, qui in annum M. CCC. LXXXXVI. & Rectoratum XXXIII. incidit, rariſſimo exemplo in faſtos ſit relatus.

tus. Tantâ verò laude in hac Univerſitate ſacras litteras primus eſt profeſſus, ut quæ fama nominis hominem doctiſſimum ex almâ *Pariſiorum Academiâ*, veriſſimâ ſtudiorum matre ac nutrice in *Auſtriam* publico eruditorum omnium favore evocarat, eadem per univerſum Chriſtianorum orbem celeberrima vagaretur, ſubtiliſſimarum lucubrationum alis ſublevata.

Præter lucubrationes autem à *Gratiano* recitatas ſcripſit quoque *Henricus* de Haſſia Studij Viennenſis Fundator, qui vixit tempore magni ſchiſmatis ſub *Vrbano V I.* & *Clemente V I I.* ut habent ſequentes tractatus, in principio, vel in fine, plurimi, Scripſit inquam,

De Contractibus & Cenſibus lib. 1. Operibus Gerſonis adjunctis, & MS. in 4 apud Cruciferos Colonienſes.

De habitudine cauſarum, & influxu naturæ ſuperioris reſpectu inferiorum, lib. 1.

Theoricas Planetarum, & alia in Aſtronomia. Contra diſceptationes & contrarias Prædicationes F F. Mendicantium ſuper *Conceptione S. Mariæ Virg.* & Maculatores B. *Bernardi.* Impreſſ. & MS. apud Cruciferos. lib. 1.

De Diſcretione Spirituum MS. apud Carthuſian. bis, Crucifer.

De Verbo Incarnato lib. 1. *Quis mihi det Verbum.* MS. De Verbo Dei, vel arte & modo prædicandi. lib. 1. Impreſſ.

De Pœnitentia. MS. fol. *Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Duo ſunt tempora hominis, unum Iuſtitia.*

De requiſitis ad Confeſſionem, Confitentem, & Confeſſarium. MS. bis. *Tibi dabo claves regni cælorum.*

De Indulgentiis lib. 1. Theodorus Petrejus in Bibl. Carthuſ. *De poteſtate Eccleſiæ* lib. 1. Theodor. Petrejus in Bibl. Carthuſ.

De modo perſolvendi horas Canonicas. lib. 1. *Septies in die laudem dixi tibi.* MS. 4.

De horis Canonicis correſpõdentibus Paſſioni Chriſti. Incipit; *Vt Doctoris teſtatur authoritas.* MS.

Regulas ad cognoſcendum differentiam inter venialia & mortalia. lib. 1.

De Regulari & religioſo modo vivendi ſecundum Regulam S. Auguſtini, Thema: *Ecce nos reliquimus omnia.* Incipit; *Noſtis fratres dilectiſſimi.* Ad Canonicos Regulares. MS. 4. & 8.

De proprietariis Monachis & Monialibus. Incipit; *Pro ſalute eorum, qui vitia fugere cupiunt.* MS. 8.

In verba: *Qui nõ ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, &c.* MS. bis 4.

De feſto lanceæ Chriſti, lib. 1. citatus à Godſchalco Holem ſerm. 84. lit. C. partis æſtiv.

Sermones de B. Virgine. lib. 1. in Biblioth. Ord. Ratiſpon.

Homiliam in *Stabant autem juxta Crucem.* S. Bernardo adſcriptam, *Ioann. Palts* 1. p. Cæli-

fodinæ

fodinæ in Margareta Paſſionis.

Homilias & Sermones de *S. Elizabetha de Vngaria* lib. 1. MS. fol.

Epiſtolam pacis in Schiſmate univerſali Eccleſiæ, Incipit; *Univerſis Navicula Petri gubernatoribus* habet capita 20. MS.

Epiſtolam ad *Decanum Moguntinum*, valde doctrinalem & prolixam. MS. fol. & 8.

Epiſtolam exhortatoriam ad vitam ſpiritualem. MS.

Secreta Sacerdotum. Impreſſ.

Quomodo Deitas Chriſti ſit ubique, non tamen humanitas, &c. MS. fol.

De Prædeſtinatione MS. fol.

De Dominio vincendi ſeipſum. MS. fol.

Quando cogitationes ſint peccata, quando non. MS. fol.

Omnia hæc vel Impreſſa, vel MS. vidi, pleraque legi, nonnulla habeo.

(3) *Claruit anno Domini* 1400. Ita etiam *Sixtus Senenſis* lib. 4. Biblioth. Sanctæ: *Iacobus* autem *Philipppus Bergomas* lib. 14. Supplementi ipſum claruiſſe ſcribit anno 1406. *Ioſephus Pamphilus* in Chronic. & *Nicolaus Cruſenius* lib. 3. Monaſticon cap. 22. anno 1408. *Felix* verò *Milenſius* in Alphabeto anno 1384. quo ſcilicet deſertâ Galliâ in *Auſtriam* ſe contulit, & *Viennæ* anno 1396. legi mortalitatis fecit ſatis, ut ex *faſtis Academicis* ejuſdem Univerſitatis dixi. 3.

Fuerunt autem & alij duo *Henrici de Haſſia*: primus diu ante noſtrum ſcriptis clarus, obiit ann. 1317. Secundus *Carthuſianus* poſt noſtrum vivere deſiit ann. 1428.

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI DE DISCRETIONE SPIRITVVM HENRICI A LANGHENSTEYN.

ORD. FRAT. EREMITARVM S. AVGVSTINI, S. THEOL. DOCTORIS PARISIENSIS,

Et Fundatoris Univerſitatis Viennenſis in Auſtria.

Bibliotheca Angelica

CAPVT I.

Spiritus ſunt XII: quinque ab intrinſeco; ſeptem ab extrinſeco, propriè autem dicti quatuor.

SICVT in Philoſophia motus & operationes referri conſueverunt ad formas, tanquam ad principia immediatoria, ita in Theologia motus hominum, operationes atque eorum in-

choationes

choationes referuntur ad Spiritus tanquam ad principia primariè moventia.

Spiritus variè accipitur.

Spiritus autem largè loquendo accipi poteſt in propoſito omnis res quodammodo ſubitò & latenter motiva, ſeu vehementer immutativa. Et ſecundum hoc diſtinguuntur duodecim ſpiritus, quibus immediatiùs agitatur & impellitur homo.

Primò pro inclinatione naturæ.

Primus eſt fortis naturæ inclinatio, complexionem, conſtellationem natalem, vel aliquam diſpoſitionem accidentalem conſequens: ſicut contingit quandoque in ægritudinibus, & in mulieribus prægnantibus vehemens & inſolita inclinatio & adfectio ad hoc vel illud.

Secundò pro habituatione.

Secundus ſpiritus dicitur fortis habituatio, aſſuefactio, vel conſuetudo acquiſita, quæ eſt altera natura, quâ multi impelluntur, quidam benè, quidam malè.

Tertiò pro fomite.

Tertius ſpiritus dicitur ipſe fomes, quem contrahit anima in unione ejus ad corpus concupiſcibiliter conceptum; hoc ſpiritu agitatur omnis homo ad malum.

Quartò pro agitatione.

Quartus ſpiritus eſt magna conſideratio, contemplatio, vel agitatio alicujus magni boni vel mali, quæ quandoque tantum excreſcit, quod hominem in exſtaſim vſque deducat.

Quintò pro vehementi paſſione.

Quintus ſpiritus eſt vehemens paſſio, quæ ſæpè nos impellit & præcipitat: ſed iſte ſpiritus eſt

tus eſt quaſi effectus præcedentium.

Iſtis quinque ſpiritibus agitamur ab intrinſeco: ſeptem autem ſequentibus impellimur ab extrinſeco, ut puta pulchritudine viſibilium, delectabilitate audibilium, placibilitate odorabilium, dulcore guſtabilium, ſuavitate tangibilium, amore rerum utilium & amore honorum. His ſeptem ſpiritibus, eorumque oppoſitis movemur ſæpè ab extrinſeco magis ad malum quàm ad bonum.

Præter hos duodecim ſpiritus, ſunt adhuc quatuor ſpiritus ſubſtantiales principaliter moventes & agitantes hominem, videlicet

Spiritus hominis, id eſt, anima, cujus quaſi incitamenta ſunt duodecim præcedentes: *Spiritus hominis.*

Spiritus Sanctus, *Spiritus Sanctus.*

Spiritus Angelicus bonus, *Spiritus Angelicus.*

Spiritus Angelicus malus: qui ſæpiùs utitur præcedentibus duodecim tanquam inſtrumentis ad perverſionem & perditionem hominis. *Spiritus Diabolicus.*

Tantâ igitur exiſtente turbâ ſpirituum hominem ad actus ſuos impellentium, difficillimum eſt diſcernere qui motus ſint ab hoc ſpiritu, vel ab illo. Benè proinde *Beatus* dixit *Ioannes*; *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: incitans nos & exhortans ut diligenter examinemus qui ſpiritu Dei agantur, & qui decepti ſpiritu ducantur erroris ſeu vertiginis.

Proinde difficile diſcernere quò ſpiritu agaris.

1. Joan. 4. verſ. 1.

Ad

Digitized by Google

Conſideranda radix unde proficiſcuntur. Ad diſtinguendum igitur ſpiritum Dei à ſpiritu erroris, rimanda nobis eſt varietas originis interiorum motionum & impulſionum noſtrarum ſecundum carnem & ſpiritum; quas ſæpè homines & viri maximè ſpirituales ſentiunt, & quæ eis accidunt ſeu illabuntur improvisè & quandoque importunè. De quibus ſcire convenit ex quâ radice oriantur aut pullulent: an ſcilicet ſint ſupernaturales procedentes ſpecialiter à ſpiritu bono vel maligno: an verò naturaliter occultis modis, ſeu de communi curſu poſſibilibus interdum accidant, abſque concurſu ſpeciali alicujus ſpiritus boni vel mali.

CAPVT II.

Quatuor cauſæ naturales hominem miris & occultis modis ſæpè impellunt.

Cauſſæ naturales variè hominem movent. VNde ad declarationem præmiſſorum advertendum eſt varia occurrere hominibus, eoſque ad multa ſæpè impelli juxta varietatem diſpoſitionis ipſorum in naturalibus & moralibus.

Timor. Et primò ex paſſionibus: timor enim facit venire crebrò in cogitationem id de quo timetur & pertinentia ad illud, ut eſuries ad comeſtibilia, coquinam, & ejuſmodi.

Humorum exceſſus. Secundò exceſſus alicujus humoris, vel ejus

bona,

Digitized by Google

bona vel mala diſpoſitio, vel melancholiæ, vel alterius humoris, puta cerebri, aut ſpirituum animalium, vertit occulto motu cogitationem improviſè ad hæc vel illa objecta. Quoniam in quibus abundat cholera rubra ſomniare ſolent de ignibus, flammis & conſimilibus ſecundum Medicos: & per conſequens talium humorum diſpoſitio & habitudo facit immutationes ſpirituales in virtutibus ſenſitivis interioribus.

Tertiò quandoque ex diſpoſitione & habitudine corporum cæleſtium fit immutatio hominis, quâ indeliberatè adficitur ad hoc vel illud objectum: quia inducuntur ſæpè hominibus ſomnia conformiter habitudini aſtrorum, ſecundum quod Aſtrologi reperiunt & Philoſophi tradunt circa *librum de ſomno & Vigilia Ariſtotelis*. *Diſpoſitio cæli.*

Quartò ex multitudine & varietate phantaſmatum ſeu ſpecierum objectabilium longo tempore collectarum in aliquibus melancholicis tenacis & vagæ memoriæ, multoties ſubitò & velociſſimè poſt agitationem phantaſiæ eorum per diuturnam cogitationem aut ſollicitam indagationem alicujus oriuntur & occurrunt multa mirabilia imperceptibili velocitate tanquam à ſpiritu aliquo eis immittantur: ut ſunt parabolæ, hiſtoriæ, vel paſſus Scripturæ ſacræ ad materiam pertinentes in quâ phantaſia laborat. Item hominibus ple- *Phantaſmatum multiplicitas.*

nam

nam ſpeciebus habentibus phantaſiam mul-
ta occurrunt ex improviſo, per accidens & caſualiter: volentibus enim nobis & intendentibus cogitare de re quapiam propter ordinem & connexionem phantaſmatum, ſeu intentionum reſervatarum, occurrunt aliqua ſæpè extranea imperceptibili velocitate, quaſi aliundè inducantur cogitativæ noſtræ. Verbi gratia à ſimili, volenti ire Romam occurrit quandoque caſualiter aliquis homo vel aliud, de cujus occurſu miratur, vel aliquid ei accidit qualiter non crediſſet; ſic ſuo modo poſſunt accidere caſuales occurſus phantaſiæ hominis ſolliciti & circa certam materiam intenti.

Inter hæc itaque difficulter cognoſcere & diſtinguere poteſt mortalis homo quid ſibi inſpiretur ſupernaturaliter, & quid aliundè ex dictis vel conſimilibus cauſſis ei naturaliter occurrat.

Patet ergò non eſſe citò & leviter credendum homini ſpirituali contemplationi continuò intento, quod in omnibus impulſibus quos ſentit, vel quæ illi quaſi inopinatò occurrunt, à bono vel malo ſpiritu ſupernaturaliter moveatur. Quare qui talibus leviter credit, videtur quaſi vanè cupidus ſupernaturalium revelationum & miraculoſarum circa ſe motionum. Aliqui enim ad tantam in hujuſcemodi levitatem judicij & credulitatis perve-

Digitized by Google

perveniunt, ut omnem ſtrepitum aut tumultum circa ſe vel alios, à gliribus, cattis, vel aliundè occultè & caſualiter accidentem, credant vel adfirment ſtatim à Diabolo factum eſſe. Reor autem Diabolum callidiſſimum deceptorem, nec ſpontè, nec facilè exterioribus tumultibus ſeipſum homini prodere, cujus ſubverſioni cautiſſimè invigilat. Quando etenim inimicus præſens adeſſe oſtenditur, ut homo ſibi caveat præmonetur; quod quia Diaboli nequitia facere non ſinit, videtur quòd quoties Dæmon ei, quem infeſtat, apparet in aliqua effigie, vel ſe aliquo tumultu manifeſtat, ad hoc à Deo, vel bonis Angelis compelli: ne fortè homo credens inimicum procul, cùm ſibi adeſt, ab ipſo inſidioſè ſuperetur.

CAPVT III.

Regulæ ad diſcernendum Spiritus.

Diverſis modis Deus hominem dirigit.

ADvertendum tamen circa prædicta in quarto modo interiorum occurſuum & motuum quòd Deus multifariam multiſque modis conſuevit devotè ad ſe recurrentes, dirigere, erudire & adjuvare.

Primò patenter, miraculoſis revelationibus vel actionibus. Secundò infundendo quandoque imperceptibiliter virtutes habituales viribus animæ. Tertiò actuando quandoque ab

intrinſeco intellectum, voluntatem vel memoriam reſpectu aliquorum objectorum. 4. flectendo vel vertendo intellectum ad aliquem hominem qui poteſt dirigere vel juvare, ut facit in Cornelio Centurione. 5. quandoque dirigit hominem debitâ devotione per zelum accenſum ad aliquem paſſum ſcripturæ ſacræ, vel alterius. 6. quandoque facit homini occurrere aliquam hiſtoriam ex cujus conſideratione conſolatur & dirigitur ad hoc quod deſiderat. 7. quandoque facit Deus homini neceſſitatem habenti & ritè ſibi conquerenti occurrere aliquam creaturam aptam, ex qua ſimilitudinem vel figuram ſumat ejus, quod ſibi faciendum eſt.

Act. 10.

In hiſce tamen & ſimilibus modis mentalium motionum magnâ gravitate & cautâ diſcretione opus eſt (propter ſubtilitatem & multiplicitatem ſpiritalium deceptionũ, quæ ex cauſſis prædictis, aliiſque malignorum ſpirituum machinationibus fieri poſſunt) ne homo in fatuam deducatur credulitatem & æſtimationem de ſe, & de continuâ circa ſe ſupernaturali Dei actione, ſpirituumque bonorum vel malorum.

Origines Inſpirationum advertendæ.

Ut ergò intelligas qui ſpiritu Dei agantur, ſcire debes quòd origines principales motionum, ſeu inſpirationum quæ viſibiliter cor noſtrum pulſare conſueverunt ſint tres, ſcilicet.

Spiritus naturæ,
Spiritus bonus,
Spiritus malus.

Et inſpirationes quæ dubiæ ſunt in origine, probari habent à fine; exitus enim multoties manifeſtat, quod origo occultat. Qui ergo motus ſuos ex origine judicare non poteſt, finem inveſtiget & conſummationem. Item motus qui ex ſtatu fiunt, vel conditione naturæ, ſurgunt frequentiùs ex aliqua neceſſitate, vel primâ occaſione in eam rationabiliter reducuntur: qui verò à Diabolo fiunt, ſæpiùs oriuntur præter rationem. Unde, ut ait quidam, quod à Diabolo ſuggeritur, ſicut alienum eſt ab homine, ita frequenter alienum eſt ab humanâ ratione, Verbi gratiâ, Si quis immediatè ſatiatus, famem patiatur, aut paulò antè inebriatus, ſiti æſtuet, aut poſt longam dormitionem ſurgens, ſomno prægravetur & ſimilia; cùm autem poſt famem vel abſtinentiam cibus ſumendus immoderatè appetitur, aut in ſumẽdo menſura tranſgreditur, aut in continère volentibus, ſtimulus oritur, &c. impulſus naturæ eſt, & non ſemper vexatio Dæmonis: & ſecundum hunc modum in aliis conſiderandum.

Item in diſcretione ſpirituum conſiderandæ ſunt conditiones rerum quibus comparantur Spiritus mali, & Spiritus Sanctus: verbi gratiâ, ex quo Diabolus propter similitudinem *Ad attributa Spiritus Sancti recurrendum.*

 tudinem

Digitized by Google

tudinem effectuum comparatur Serpenti, Scorpioni, porco, corvo, &c. ideò in quo abundant effectus & conditiones talium animalium non aguntur *Spiritu Sancto*: ſed illi in quibus reperiuntur proprietates *Spiritus Sancti*, Spiritu Sancto ducuntur. Præcipuè ergo in diſcretione & diſcuſſione ſpirituum vel interiorum motionum an ex Deo ſint, ſpecialiter recurrendum eſt ad attributa Spiritus Sancti, quæ ſunt; ſuavitas, dulcedo, manſuetudo, concordia, modeſtia & charitas. *Charitas* autem, ut ait Apoſtolus, *patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur*, &c. Et alibi oſtendens Apoſtolus qui virtute induantur ex alto dicit: *Induite vos ergò ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & dominus donavit vobis.* Ideo dictum videtur in figura Heliæ, *& poſt ignem ſibilus auræ tenuis*, ibi Dominus: *non in turbine* impatientiæ, *non in impetu* querelæ & vindictæ, *non in igne* zeli indiſcretè efflammantis.

1. Cor. 13. v. 4.5.6.7.

Coloſſ. 13. v. 12.13.

3. Reg. 19. verſ. 12.

Præterea ſpecialiùs ſi alicujus hominis motus interior vel exterior ſingulariter ex Deo ſit, ex præcedente hujus hominis devotione & factione, quæ in illo fuit, humano modo convinci poterit: uti ex motu primæ aggreſſionis,

Digitized by Google

ſionis, ſi videlicet blanda vel turbans fuerit aggreſſio. Unde turbata eſt mater Domini in apparitione Angeli: *Eva* verò ſtatim complacentiam habuit in verbis Serpentis.

Si ad utilia moveat, attende quò impetus ille vergat.

Quòd ſi motus ad utilia & rationabilia tendat pro tempore & loco opportunè, conſiderandum eſt diligenter quorſum tendat impetus ſpiritus, ſi quodam modo ad oſtentationem ſanctitatis, vel ad complacentiam in ſe factis & dictis ſuis, alioſque pro nihilo habeat, & hujuſmodi: vel ſi Spiritus quemquam movens, oſtendat vel perſuadeat ei quod ſit major *Iſaiâ*, *Davide*, vel *Abrahamo*, potiùs ſpiritus ſuperbiæ eſſe videtur, quàm Spiritus Sanctus. Et vidi quemdam qui dicebat ſibi taliter à ſpiritu perſuaſum, & nihilo minus credebat omninò ſe à Spiritu Sancto moveri. *Item ſi ſolidè ſe fundet & rationabiliter pro iis quæ ſingulariter proſequi laborat & attentat.* Item ex modo vivendi alicujus, ſi videlicet ſcandala ſequantur, diſcordiæ & diſſenſiones, bonorum operum neglectiones, hominum pejorationes magis, quàm emendationes & correctiones: ubi enim talia ſequuntur ex converſatione alicujus ille videtur per indiſcretionem claudicare.

Pro iis qui ſpiritu auſteritatis ducuntur.

Pro ſpecialiori horum declaratione advertendum eſt, reperiri nonnunquam quoſdam, qui recenter de ſæculo venientes & ſtatum ſpiritualis vitæ profeſſi, dum ſubitò volunt

 eſſe

Digitized by Google

eſſe ſummi, aguntur ſpiritu auſteritatis perducente eos in exceſſum abſtinentiarum, vigiliarum, laborum, contemplationum & orationum: quos ex indiſcreta & fatuâ aſſiduitate prędictorum menſuram conditionis humanæ excedentę mortaliter peccantes, quandoque permittit Deus tentationibus in delirationem converſationis, aut errorem credulitatis perduci. Hominem quippè fatuè, irrationabiliter & indiſcretè procedere eſt Deo valde odibile, cùm maximè repugnet conditioni hominis, cui Deus dedit rationem, eumque ſufficienter erudivit doctrinis humanis & divinis. Conantibus ergo ſpiritualiter & abſtractè vivere, valde timendum eſt peccatum ex hac parte. Quidam verò ſtatum vitæ ſpiritualis profeſſi, ſucceſſu temporis, quo omnia tabeſcunt, relabuntur in vitam mundanam & carnalem re, & effectu, licet nomen & effigiem ſpiritualis vitæ gerant, & prætendant in corporali habitu ſanctitatem.

Inter iſta duo extrema mala tanquam inter duos numeros *cubitos* ſunt duo media; videlicet illi, qui perfectè ſpiritualiter noverunt vivere, non excedentes indiſcretè menſuram & conditionem hominis ac virium ejus in exercitiis ſpiritualibus: Medii quoque ſunt, qui imperfectè adhuc ſub ſtatu profeſſionis vitæ ſpiritualis militantes, nondum plenè purificati ſunt vel purgati à petulantia vitæ carnalis & mundanæ.

Quæres

Digitized by Google

Quæres qui ſint pejores, ſolóne nomine ſpirituales, an quos ſpiritus auſteritatis in primum extremum abduxit? Reſponderi poteſt; eos qui ſpiritu auſteritatis pervertuntur aliis graviùs peccare; quia peccata quantò magis ſpiritualia, tantò cæteris paribus videntur aliis graviora.

CAPVT IV.

Pericula eorum qui ſpiritu auſteritatis ducuntur.

NVnc fructus ſeu effectus hujus ſpiritus videamus: quorum quidem *primus* eſt nimia extenuatio & enervatio corporalium virium. *Varia eorum pericula & fructus.* 1. Ad quem ſequitur *ſecundus*, exorbitatio ſcilicet & alienatio in viribus ſpiritualibus. 2. *Tertius eſt* quaſi ſtupefactio virium ab impetu auſteritatis, 3. propter quam ſtupefactionem homo non ſentit propriam læſionem: ſicut ſtupidum membrum non ſentit ſe vulnerari. Unde infirmitate hac laborantes ſunt pejoris conditionis, ægrotantibus corporaliter: quia hi credunt judicio ſanorum & conſilia ſequuntur Medicorum; alij autem non, ſed videtur eis quòd ipſi ſint ſcientiſſimi, omneſque alii corruptum habeant judicium de eis, & de aliis rebus: & quod ſoli ipſi de ſe optimè judicent, non attendentes quòd

Digitized by Google

quòd in multis caſibus homo ſit malus judex ſui, & magis de ſe aliorum judicio ſtare debeat, quàm proprio. Sed quia plures prædicto morbo laborantes innituntur taliter prudentiæ ſuæ, omninò bonorum & diſcretorum hominum conſilium ſequi nolentes, vel pro nihilo habentes, incurabiles remanent, & labuntur de fatuitate in fatuitatem donec tandem omninò inſaniant.

4. Quartus effectus eſt admiratio, & fama ſtatim latè evolans. Quia ubi percipitur auſtera ſingularitas paupertatis, abſtinentiæ, veſtitus, exterioris geſtus, &c. ibi velociter exit in omnem terram ſonus ejus. Qui enim facit, quod alius nemo, omnes mirantur.

5. Quintus effectus eſt juſtificatio ſui, & ex facili condemnatio aliorum, execratio, aut

6. exprobratio. Hinc ſequitur *Sextus*, ſcilicet quædam ſpiritualis ſuperbia, implicita ſui commendatione & oſtentatione.

Spiritualis ſuperbia. Viri ergo ſpirituales ſingulariter rigorosè viventes, præcipuè peccare videntur in temerariis judiciis, aliorum condemnationibus, ſui oſtentationibus, in niſibus ſuæ prudentiæ, impulſibus impatientiæ, fatuis de ſe & de Deo æſtimationibus, confidentiis, deſideriis & murmurationibus; & ſuper omnia deficere conſueverunt in indiſcretionibus. Talibus poſtquam diu, ut arbitrantur, purè & abſtractiſſimè vixerunt, nonnunquam videtur, quòd

Digitized by Google

quòd moleſtiæ tentationum, jam meritò circa eos ceſſare deberent, quodque præ aliis ſpirituales dulcedines jam deberent ſentire in contemplationibus & Sacramento Euchariſtiæ, cæteriſque, vel quod viſiones habere deberent. Et quia fortaſſis quandoque indiſcretè talia appetunt, & ut talia eis fiant, orant & laborant, Deus permittit eos acrioribus tentationibus vexari & tribulari, in quibus per impatientiam & murmurationes cadunt. Imò quandoque Deus in irâ ſuâ ſinit illis phantaſticas viſiones undecumque immitti, eoſque deliros fieri & fatuos, qui indebitè concupierunt eſſe vates.

Et hæc ſummatim declarare lubet. Aliqui conſiderantes quomodò abſtineant, abſtractè devotèque præ aliis vivant & vixerint, afficiuntur duræ cervicis, & quaſi immobiles ab opinionibus & conceptibus ſuis, & credunt quòd propter vitam ſuam in omnibus Dei inſpirationem habeant, nec permittantur errare. *Ea ſummatim declarantur.*

Quidam Devotarii mirantur, & graviter moleſteque ferunt, quòd Deus quandoque permittat eos in aliquo errare, vel labi in tentationes, vel peccata: vel ſi non ſentiant revelationes, vel adjutorium Dei perceptibiliter, pro quibus tam diu & devotè inſtiterunt, murmurant. Audiant iſti quid *S. Paulo* tentatione carnis vexato dictũ ſit; & non murmurabunt.

Alii ſingulariter abſtractivi, reperiuntur contra attributa Si Spiritus nimis amari, & vindicatiui, ſi injuriæ occurrant. Alii nimis ſingulares, facilè judicant & condemnant alios. Alii nimium ponderantes parva, ex eis periculoſæ & ſcrupuloſæ inquietationis materiam infirmis miniſtrant. Alii nimis de ſe præſumunt; & implicitè ſe cõmendant, narrando omnibus familiaritatem Dei ſecum, & bona, quæ totâ vitâ ſuâ fecerunt. Alii indiſcretè & fatuè præſumunt & de Deo in aliquibus confidunt, & quandoque in tantum ſeipſos aſſecurare audent, ut jurent & imprecentur ſibi omnem maledictionem, niſi hoc eveniat infra tempus quod aſſignant. Hi indubiè volunt pręfigere Deo terminum, eumque aſtringere ad id, quod ipſis phantaſtica cogitatio præfixit. Et eſto, Deus revelaſſet aliquid tale, adhuc tamen non liceret cuipiam ita ſe habere. Non legi ſimile de Prophetis, nec aliis inſpiratis hominibus.

Alii adficiuntur ſpecialiter, & importunè revelationibus & miraculis, & hic eſt quidam modus tentandi Deum. Alii leviſſimè credũt Deum ſemper ſpecialiter & ſupernaturaliter in eis agere, qualiter non facit, nec fecit: ſed proprio ſpiritu moventur ſecundum alios modos circa principium præmiſſos. Alii nimium zelant bonum, & Deum, ſed indiſcretè & inexpedienti modo.

Alii

Alii occultis modis, quos ipſi læſi non percipiunt, tentant Deum, & falſo de ipſo æſtimant. Item alii tam volunt, quàm credunt ſe rapi in Deum; ut in factis ſuis omittant viam & modum procedendi humanum, & proceſſum negligunt humanitus habendæ & exercendæ prudentiæ: & illos ſæpè Deus propter indiſcretionem derelinquit, ut dixi ſuperius. Item aliqui credunt, quòd quidquid eis poſt devotionem præmiſſam incidit vel occurrit, ſit ſpecialis Dei revelatio; & volentes examinare an ex Deo ſit, conſiderant an ex ſcripturis illud habeat perſuaſionem aliquam, probationem vel concordantiam. Alii, ut *Abbas Ioachim*, plurimùm expoſitionibus Sacræ Scripturæ à ſe inventis & excogitatis innituntur & moventur ad prædicendum futura, & audacter faciendum aliis inconſueta. Alii nimis citò credunt, facileque moventur quibuſdam ſimilitudinibus, figuris, perſuaſionibus aut exẽplis ex ſcripturis ſumptis, ad attentandum, vel dicendum nova, & grandia, omniaque credunt benè & licitè fieri quæ aliquo modo colorare talibus poſſunt.

Judicet itaque quilibet ex premiſſis in principio hujus libri ſi ſecurum ſit credere quòd quidquid homini, poſt orationem & habitam ad Deum devotionem etiam cum lacrymis, occurrit circa negotium, de quo ſolicitus

fuit,

Digitized by Google

fuit, ſit ſupernaturalis revelatio. Stat enim quòd homo humano conſilio & proceſſu, ſi his quæ hactenus revelata ſunt & manifeſtata, benè uti velit, inveniet quod ſibi magis expedit. Præſumptuoſus ergo eſt, & tentare Deum videtur, qui in omni caſu vult ſupernaturaliter à Deo erudiri in agendis & cognoſcendis. Deus enim ut *Auguſtinus* ſentit, ſic res adminiſtrat, ut eis proprios motus ſecundum hactenus indita & tradita habere ſinat, vſquequò non poſſunt ampliùs, & tunc deſuper concurrit & vlteriùs dirigit, & ni fallar, hoc ipſum perfectionem explicat Creatoris. Verbi gratiâ ad oſtenſionem excellentiæ creati artificis eſt, eum opus tale feciſſe, quod diu benè debitèque currere poſſit ex primariâ ejus inſtitutione, vel ſequente ejus reformatione. Ideoque artifex, *dicamus*, horologii, quamdiu opus ſuum benè currit, & habet omnia requiſita, non apponit manum iterum regiſtrando; imò ſi artifex creatus poſſet, faceret horologium quod ex ſe ſemper curreret ſine ampliori extrinſeca directione. Ita quodammodo videtur imaginandum de primo artifice reſpectu totius univerſi, quod inſtituit à principio, perfectè dando ei in ſuis partibus potentias, virtutes & modos agendi, & ſe conſervandi; At poſtquam ſucceſſu temporis contabuit, & nimis exorbitavit, iterum reformavit & regiſtravit

illud

Digitized by Google

illud dando legem Moyſi: & cùm rurſus ab illa regiſtratione deviavit, perfectiſſimè reformavit, mittendo ſummos artifices, Chriſtum ſcilicet, & Spiritum Sanctum; & virtute illius vltimatæ regiſtrationis currere debet mundus, quantum ad genus humanum ſeu microcoſmum vſque ad conſummationem ſæculi. Quamdiu ergo homo poteſt ſe ſufficienter juvare in agendis & cognoſcendis ex his quæ Deus manifeſtavit, & contulit hominibus & præteritis ſæculis, & ex viribus primariæ inſtitutionis, ſcilicet naturalibus, atque ex doctrinis, artibuſque inde deductis, non eſt juſtum, vel neceſſe, ut Deus miraculosè, & nouiter apponat quaſi manum artificio ſuo ipſum dirigendo per novas revelationes, vel miraculorum operationes.

Et inter alias hæc cauſſa eſt, quare modò tam rarò fidelibus miracula oſtendit, & Dei ſermo ſit tam pretioſus in diebus iſtis; *repleta* Iſa. 11. v. 9.
eſt enim *terra ſcientiâ Domini*, & ſufficienter locutus eſt Deus declarãdo toti mundo ſuam voluntatem, iuxta illud: *Semel loquitur Deus,* Iob 33. v. 14.
& ſecundò idipſum non repetit. Loquitur enim Deus modò per ſcripturas plenè declaratas, & per exempla Sanctorum copioſa, quæ olim loquebatur per miracula & revelationes, ut ait *Gregorius.* Item gratior habetur ſervus, qui auditâ in universali ſemel manifeſtatione omnis voluntatis Domini ſui memoriter tenuit.

Digitized by Google

nuit, & deinceps ſolicitè & induſtriè inveſtigat & facit omni tempore ſine novâ juſſione quod Domino ſuo placet: quàm ille ſervus cui oportet quotidiè noviter jubere; aut qui omni aurâ vexat aures Domini ſui interrogando quid agere debeat, & petendo ut hæc & illa ſibi revelet.

Verumtamen ſæpè Divinæ pietatis infinita bonitas, humanæ conditionis ſciens infirmitatem, ex ſuperabundanti largitate non obſtantibus prædictis, ut placet ei revelat multa & aliquando revelavit, quæ aliundè vel ab aliis diſcere poterant. Hiſce ergo & ſimilibus attentis, non in quolibet caſu aut eventu recurrendum ſtatim arbitror immediatè ad Deum, ut ſpecialiter revelet quod cupit homo, aut miracula pro hoc vel illo faciat. Neque leviter credendum reor, omne quod devotione aut ſolicitudine præmiſsâ occurrit, ſpecialem Dei allocutionem eſſe aut propheticam inſpirationem. Item omni homini bono vel malo maximè in doctrinis exercitato, dum poſt ſolicitudinem circa aliqua ſe recolligit, & abſtrahit, occurrunt aliqua; & tamen non ſemper illud quod ei melius, & magis ſecundum Deum, agendum eſſet. Sæpè etiam eidem homini occurrit uno tempore unum, & ſtatim pòſt alio tempore contrarium: & inde contingit hominem incidere frequenter in gravem perplexitatem, ut igno-

ut ignoret quid agere debeat propter varietatem ſcripturarum, rationum, & perſuaſionum ad contrarias partes negotii occurrentis. Item ut patuit circa principiũ tractatus multis modis poſſunt homini multitudine phantaſmatum occupato, multa & mirabilia occurrere, & incidere quæ non ſunt ſupernaturales & miraculoſæ revelationes, vel Dei ad mentem humanam internæ allocutiones.

CAPVT V.

Triplex eſſe genus internarum Allocutionum.

PRo declaratione dictorum, triplex genus diſtingui poteſt internarum allocutionum, cogitationum aut meditationum.

Primum quod metas communis ſive naturalis influentiæ Dei non tranſcendit. In hoc genere ſunt, excogitata & tradita à Philoſophis de rerum naturis, conditionibus, quidditatibus, & hominum moribus; de quibus omnibus Philoſophi multa vera & utilia Chriſtianæ vitæ & doctrinæ meditati ſunt teſte S.P. Auguſtino in lib. de doctrina Chriſtiana. *1. Genus.*

Secundum genus tranſcendit veritatis inquiſitiones ſub generali Dei influentiâ habitas, complectiturque ea quæ in fide & doctrinâ Chriſtianâ exercitatis vltrà Philoſophiam *2.*

phiam

phiam occurrunt, vel quæ cogitando & meditando ſtudioſè deducunt & eliciunt ex creditis, aut in ſacrâ Scripturâ contentis, adjunctis principiis & regulis naturalis doctrinæ.

Vtrique generi error quandoque ſurrepſit.

Verùm utrique generi ſubrepere poteſt error, & nonnunquam ſubrepit; quod de primo manifeſtum eſt, Philoſophi enim in multos errores prolapſi fuerunt: De ſecundo ſimiliter planum eſt, etenim plures Chriſtiani Theologicæ veritatis inquiſitores, innitentes ſecũdo generi meditationis vel ratiocinationis ſæpè in hæreſes circa credenda & agenda ceciderunt, ut conſtat. Et quamvis ratiocinatio ſecundum utrumque genus prædictum dici poſſit meditatio humana, propriè tamen humana cogitatio vel meditatio tendit ſub utroque illorum duorum generum ad mundana ſeu carnalia, ſive ad errores circa credibilia & agibilia. Unde Pater *Auguſtinus* ſuper illud Joannis, *qui de terra eſt, de terra loquitur*, dicit quòd homini ſecundum ſe conſiderato non convenit loqui niſi terrena, & talia ex propriis loquitur. Nec *animalis homo percipit ea quæ Dei ſunt*; ergo de corde hominis ſecundum ſe exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia & his ſimilia, quæ propria ſunt hominis, qui ſolus horum eſt author, & non Deus.

3. Tertium genus eſt earum cogitationum quæ Spiritu bono ſpecialiter movente, occurrunt vel illabuntur homini.

Sed

Digitized by Google

Sed quodlibet prædictorum generum diſtinguitur in duo. Nam ſub primo ſunt aliqui qui ex ſtudioſis cogitationibus vel meditationibus moventur, & adficiuntur ad juſtitiam & veritates in ordine ad felicitatem politicã ſeu moralem. Talis fuit Seneca aliique plures morales Philoſophi, qui exhortati ſunt homines ad rectè honeſteque vivẽdum, prout rerum naturam & conditionem expoſcere noverant. Alii fuerunt purè ſpeculativi, qui evanuerunt in cogitationibus ſuis, nullum ex meditationibus & ſpeculationibus profundiſſimis ſentientes adfectum juſtitiæ, quia ſolum ſcire curaverunt, ut fecerunt plurimi ſcientiis mathematicis intricati, in quibus non eſt conſideratio rerum ſecundum rationem boni moralis, vel finis politici ut dicitur 2. Metaph.

In ſecundo genere ſunt nonnulli in quorum cunctis meditationibus & contemplationibus, ſive circa creaturam, ſive creatorem fuerint, conſurgit delectatio in Deo, & inardeſcit ignis divini amoris, & deſiderium veræ vitæ in ſe & in aliis ad meritum felicitatis æternæ. Et hæc eſt vera & fructuoſiſſima contemplatio homini poſſibilis. Aliis meditatio ſeu contemplatio dulcedinem fructus non adfert: ſed vel nullum in meditationibus ſentiunt bonum adfectualem motum, vel adficiuntur vanè glorioſi ex altitudine contemplationum.

Digitized by Google

In primo genere contemplationum loquitur Deus homini auribus & quaſi voce ſenſibilium creaturarum; in ſecundo loquitur ei quaſi miſſione è cælis ſuarum litterarum: in tertio loquitur quaſi voce propriâ, & hoc dupliciter, ab extra ſcilicet vel ab intra.

Deus loquitur ab extra.
1\. *Et quidem ab extra*, primò per res ad ſignificandũ non impoſitas, ut ſunt ſpeciales adverſitates, vel proſperitates, iuxta illud: *Palpebræ ejus interrogãt filios hominum*, id eſt, Dei judicia, quibus homines ſpecialiter quãdoq; tribulat, vel benefacit. In hoc enim ſe habet Deus ac ſi interroget: *Nunquid ſentitis quòd iratus ſim vobis?* aut *non advertitis quàm bonus ſim, qui etiam vobis peccatoribus temporaliter benefacio?*

Pſal. 10. 14.

2\. *Loquitur ſecundò ab extra* objiciendo viſui ſenſibilem imaginem aut ſignum alicujus rei præſentis, futuræ, vel præteritæ, aut aſſimulando vocem humanam, quemadmodum loquebatur Samueli Prophetæ & aliis.

Deus loquitur ab intra diverſis modis.
Ab intrà verò Deus loquitur homini, vel per viſionem ſomnialem alicujus ſimilitudinis, vel imaginis aliquorum occultorum ſignificativæ; vel loquitur humano modo ad interiorem auditum hominis dormientis: contingit enim quãdoque ſomnianti ut audiat hunc vel illum ſermonẽ à patre ſuo vel aliis, & excitatus diſtinctè recordetur ſermonis, eũque narret: vel loquitur homini ab intimo per intellectualem impreſſionem veritatis ſine miniſterio

Digitized by Google

niſterio cujuſque phantaſticæ vel realiter ſenſatæ ſimilitudinis, & hoc excellentiſſimo divinæ inſpirationis modo Deus plurimum locutus eſt Prophetæ David, propter quod ab aliquibus eximius perhibetur Prophetarum. Prædicta poſſent facilè per exempla ex ſacrâ Scripturâ deduci, ſed quia ſatis clara ſunt, brevitatis cauſsâ omitto.

CAPVT VI.

Quare Deus volens hominem ſupernaturaliter erudire, ducat ipſum per mediâ ſenſibilia.

QVæres fortè, quare Deus volens hominem deſuper ſive ſupernaturaliter de occultis erudire, ducat eum ut plurimum per media quædam ſenſibilia? *Deus per ſenſibilia ad inſenſibilia ducit.*

Reſpondeo, ob duas cauſſas. Prima eſt, ut influxus vel proceſſus Dei cum homine ſupernaturalis conformis ſit & conſonus proceſſui naturali hominis in cognoſcendo, ut ita convenientiùs & ſuaviùs ducatur in apprehenſionem æternorum. Sicut ergò Deus totam ſenſibilem creaturam univerſi, poſuit quaſi medium naturale, inter ſe & humanum intellectum, ut illud medium penetrando per phyſicam cognitionem & ſpeculationem videret Deum prout eſt naturaliter homini poſſibile; ita divina benignitas volens homi- *Vt ejus influxus naturali ſit conformis.*

Digitized by Google

nem altiùs ducere in aſſenſum ſeu credulitatem naturaliter inattingibilium veritatum, miraculosè poſuit quædam media ſenſibilia ſupernaturalia inter ſe & hominem, quorum diſcuſſione attingeret homo ad perfectiorem creatoris ſui cognitionem & moveretur ad ejus dilectionem.

Secunda cauſſa eſt, quia intellectualis oculus animæ humanæ, eſt ad divinæ natūræ claritatem, ſicut oculus nicticoracis ad lumen ſolis. Ideò oportuit quædam ſenſibilia quaſi vmbracula interponi, ut noſter oculus excellētiam illius intelligibilis pati poſſit; quemadmodum per interpoſitam nebulam vel nubem videmus ſolis ſitum & circulū ac quantitatem diſtinctè, quæ ſine medio ſolem inſpicientes nullatenùs valeremus diſcernere. Et ita eſt in propoſito.

Et ut intellectus noſter quaſi nebulâ interpoſitâ juvetur.

Inſtabis forſitan, Si Deus prædictis modis loquitur homini, ſequetur quòd quandoque dicat ei falſum; quia homo audiendo primo & ſecundo modo locutionem Dei poteſt falli ut declaraſti. Reſpond. quocunque modo Deus loquatur homini, non dicit falſum, ſed homo quandoque vocem Dei veritatem indicantem falsè intelligendo, aut indebitè capiendo, fallitur & aberrat.

CAPVT

Digitized by Google

Capvt VII.

Confirmantur prædicta de differentiâ internarum allocutionum auctoritate B. Bernardi & Richardi.

Diſtinxi itaque hos modos divinæ allocutionis ad hominem, ut cùm alicui apparet quòd Deus ei ſpecialiter loquatur, advertat modum, an ſit conformis modis, quibus ipſe olim conſuevit alloqui homines, & ita cognoſcat, quo ſpiritu moveatur. Item ut pateat diſtinctio inter meditationem ſeu cogitationem humanam, & ſpecialem inſpirationem divinam, per hoc quod hæc infallibilis eſt, & iſta fallibilis.

Porrò B. Bernardus volẽs diſtinguere inter prædicta, ita loquitur; *Sunt enim quædam verba Verbi Sponſi ad nos, noſtra meditationes de ipſo, & ejus gloriâ, elegantiâ, potentiâ, majeſtate. Non ſolùm autẽ, ſed & cum avidâ mente verſamus teſtimonia ejus, & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die & nocte: ſciamus pro certo adeſſe Sponsũ, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, ſermonibus delectati.* Tu ergo cùm tibi aliqua talia volvi animo ſentis, non tuam putes cogitationem, ſed illum agnoſce loquentem, qui apud Prophetam dicit: *ego qui loquor juſtitiam.* Simillima enim ſunt noſtra cogitata mentis, ſermo-

Serm. 32. in Cant.

Iſa. 63. v. 1.

,, ſermonibus veritatis in nobis loquentis: nec
,, facilè quis diſcernit quid intus patiat cor
,, ſuum, quidve audiat, niſi qui prudenter ad-
,, vertit Dominum in Evangelio loquentem,
Matth. 15. ,, quia *de corde exeunt cogitationes malæ.* Et illud:
verſ. 18. ,, *quid cogitatis mala in cordibus veſtris*: Et *qui lo-*
Matth. 9. ,, *quitur mendacium, de ſuo & ex propriis loquitur.*
verſ. 4. ,, Apoſtolus autem, *non quòd ſufficientes*, inquit,
Joan. 8. ,, *ſimus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis*
verſ. 44. ,, (ſubaudi bonum) *ſed ſufficientia noſtra ex Deo*
2. Cor. 3. verſ. 5. ,, *eſt.* Cùm ergo mala in corde verſamus, no-
,, ſtra cogitatio eſt: ſi bona, Dei ſermo eſt. Illa
Pſal. 84. ,, cor noſtrum dicit, hæc audit. *Audiam*, ait Pro-
,, pheta, *quid loquatur in me Dominus Deus, quo-*
,, *niam loquitur pacem in plebem ſuam.* Itaque pa-
,, cem, pietatem, juſtitiam Deus in nobis lo-
,, quitur: nec talia nos cogitamus ex nobis,
,, ſed in nobis audimus. Cæterùm homicidia,
,, adulteria, furta, blaſphemiæ, & his ſimilia de
,, corde exeunt, nec audimus ea, ſed dicimus
,, ... Sed eſt prætereà quod corde qui-
,, dem ſentitur, non tamen cordis eſt verbum;
,, nec enim de corde exit, ſicut noſtra cogi-
,, tatio: ſed neque illud eſt, quod ad cor fieri
,, diximus, verbum videlicet Verbi, cùm ſit
,, malum; immittitur autem à contrariis pote-
Pſal. 77. ,, ſtatibus, ſicut fiunt *immiſſiones per Angelos ma-*
,, *los*, quale verbi cauſſa, fuit, quod legitur in
,, cor miſiſſe Diabolus, ut traderet Dominum
Joan 13. ,, Judas Simonis Iſcariotis.

Verùm

Verùm quis ita vigil & diligens obſervator ,, motionum internarum ſuarum, ſive in ſe, ſive ,, ex ſe factarum, ut liquido ad quæque illicita ,, ſenſu cordis ſui diſcernat inter morbũ men- ,, tis, & morſum ſerpentis? Ego nulli hoc mor- ,, talium poſſibile puto, niſi qui illuminatus à ,, Spiritu Sancto ſpeciale accepit donum, quod ,, Apoſtolus inter cætera chariſmata quæ enu- ,, merat, nominat diſcretionem ſpirituum. Sed ,, non multum refert noſtra ſcire unde inest no- ,, bis malum, dummodo ineſſe ſciamus: vigi- ,, landum potiùs *& orandum undecunque ſit, ne* ,, *conſentiamus*. Et ego non accepi, fateor, un- ,, de aſſignem certam notionem inter partum ,, cordis, & ſeminarium hoſtis. Quippè utrum- ,, que malum, utrumque à malo: utrumque in ,, corde, ſed non utrumque de corde. Hoc to- ,, tum certum mihi in me, etſi incertum quid ,, cordi, quid hoſti tribuam. Et quidem, ut dixi, ,, abſque periculo. ,,

Sed ſanè eſt ubi periculosè, imò damnabiliter erratur, atque ibi meritò nobis certa præfigitur regula, ne quod Dei eſt in nobis, demus nobis, putantes Verbi viſitationem, noſtram eſſe cogitationem. Ergo quantum diſtat bonum à malo, tantum diſtant iſta duo à ſe: quoniam nec de Verbo malum, nec de corde exiet bonum, niſi quod priùs fortè de Verbo conceperit; quia *non poteſt bona arbor malos fructus facere, nec arbor mala fructus bonos*. Matth. 7.

At ſatis dictum eſſe credo quid Dei, quid noſtrum in noſtro ſit corde, nec ſuperfluè, ut arbitror, ſed ut ſciant inimici gratiæ, abſque gratia nec ad cogitandum bonum ſufficere cor humanum, ſed ſufficiētiam ipſius ex Deo eſſe, Dei vocem bonum quod cogitatur, non cordis prolem exiſtere. Hæc Bernardus.

Et idem in ſermone, *de Septem Spiritibus*, qui incipit: *Magiſter gentium Paulus*, de diſcretione Spirituum fusè loquens, inter alia ſic ait:
„ *Illas verò cogitationes* quæ juſtitiæ & veritatis
„ nos admonent, totâ devotione ſuſcipientes,
„ divinæ dignationi gratiam habeamus, ne ali-
„ quando tantæ benignitati inveniamur ingra-
„ ti, ſcientes quoniam ipſe eſt qui loquitur ju-
„ ſtitiam, ipſe enim cujus ſermo veritas eſt.
„ Quantæ enim temeritatis, imò quantæ inſa-
„ niæ eſt, ſi fortè dum alloquitur nos Domi-
„ nus Majeſtatis, nos inſenſati avertamus au-
„ rem, & ad neſcio quas ineptias converta-
„ mur? Quanta eſt hæc injuria, & quàm gra-
„ viter vindicanda cùm viliſſimus vermis cla-
„ mantem ad ſe audire dedignatur Creatorem
„ Univerſitatis?

Richardus ſimiliter *lib. de Contemplatione*, ſic dicit: *Quotidie ni fallar qui meditationi & lectioni inſiſtitis, Dei nuncios ſuſcipitis. Quoties enim ex abditis Scripturæ receſſibus vel exceſſibus, novos intellectus eruimus, quid aliud quàm quoſdam dilecti noſtri nuncios recipimus? Huic ſanè negotio ſubſer-*

vit

Digitized by Google

vit omnis ſacra lectio, ſagaxq; meditatio: alius nãq; meditantibus, alius legentibus divinorum ſecretorum internuncij occurrunt, qui dilecti ad nos mandata perferant, & de ſingulis inſtruant. Non enim decet amantes mutua ſtudia, mutuumq; in alterutrum deſiderium neſcire. Sed qualis differentia inter hujuſmodi nuncios veros & falſos ſit, docet idem Richardus lib. ſupradicto dicens: *Divinus nuncius procul dubio eſt, per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoſcimus; per quem ad æternorum cognitionem illuminamur: per quem ad æternorum deſideria inflammamur.* Hæc ille. Unde patet horum nunciorum differentia ſecundum Richardum. Nunciantes enim nobis quæ contra Dei voluntatem ſunt, vel de mundanis, vel de his quæ ſunt carnis, falſi nuncii ſunt: quia caro & ſanguis revelavit eis; *igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.*

CAPVT VIII.

An omnis cogitatio & meditatio ad bonum, vel verum tendens ſit divina revelatio?

EX iſta aſſignatione differentiæ inter meditationem humanam, & allocutionem divinam, videtur ſequi, quòd omnis cogitatus & meditatio tendens ad bonum aut verum ſit divina revelatio ſeu allocutio, & quòd nulla talis ſit dicenda cogitatio huma-

na, ſed ſolùm ea quæ vitia parit & errores, humana ſit appellanda.

Reſpond. largè ſumpto revelationis vocabulo, omnis manifeſtatio veri, quæ fit homini vel ex creaturis vel ex Scripturis, revelatio Dei, & ejus allocutio dici poteſt, cùm Apoſtolus ad Romanos, cognitionem quam Philoſophi ex creaturis habuerunt de Creatore, vocet revelationem.

Rom. 1.

Ego autem loquor hîc de immediatâ ſupernaturali revelatione divinâ, reſpectu cujus ſe habet mens humana ſolùm paſſivè, quâ Deus quandoque præter ea quæ ſecundùm communem curſum naturalem & ſupernaturalem manifeſtavit, ſpecialiter aliquos informat, & dirigit. Et iſtius divinæ allocutionis infallibilis diſtinctionem, ab aliis modis præmiſſis divinarum allocutionum, non facilè invenibilem, hîc quærimus. Patuit enim ex dictis *S. Bernardi*, quod ſæpè ſimillima ſint cogitata noſtræ mentis ſermonibus veritatis, nec facilè quis diſcernat, quid intus cor ſuum pariat. Idcircò dictum eſt, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus an ex Deo ſint.*

1. Joan. 4. 1.

Dicuntur etiam meditationes in duobus primis generibus, divinæ & humanæ, diverſo reſpectu. Divinæ quidem in quantum Deus fecit, & diſpoſuit creaturas & Scripturas, ut indicaret nobis credenda & agenda: Hu-

da: Humanæ verò in quantum homo etiam malus vel gentilis, ſtudioſâ ſolicitudine, vel humano proceſſu inquiſitivo veritatis, ex creaturis, vel divinis Scripturis, in genere excogitat vel excogitavit de Deo, & aliis rebus, bona, vera, & juſta, licèt non ſufficientia ad vitam Deo acceptam.

CAPVT IX.

Oſtenditur differentia inter divinam allocutionem & alias ex parte charitatis ejus cui fit.

Conſideranda modò eſt prætacta differentia ex ſtatu & habitudine ejus, cui dicitur fieri ſpecialis divina allocutio, & hoc primo ex habitudine ejus in dilectione ad Deum; ſecundò ex habitudine ejus ad æquitatem & veritatem in adfectione: tertiò ex habitudine ejus ad populum Dei in prælatione; quartò ex habitudine ipſius ad ſeipſum in puritate & abſtractione.

Quantum igitur ad primum. Nota unam & potiſſimam divinæ allocutionis cauſſam eſſe charitatem; quoniam homines inter quos eſt perfecta dilectio, amicitia ſeu charitas, crebrò ſibi mutuò ſuas intimant voluntates, ſtatus, ſuaque ſecreta ad conſolationem & meliorationem imperfectioris.

Et

Digitized by Google

Et hæc eorum intimatio aliquando fit per præſentialem collocutionem, aliquando per nunciorum & litterarum miſſionem. Simile quoque operari videtur perfecta charitas inter Deum & hominem, quia ipſe eſt *qui diligentes ſe* perfectiùs *diligit*. Talis enim charitas tantoperè appropinquare contendit amato, & eſſe coram eo tam propè ut ſi fieri poſſet, hoc ipſum ſit, quod ille. Unde ſecundùm *S. Auguſtinum* Charitas ſive amor eſt pondus inclinans amantem ad amatum, & appropinquare facit amatum quantum poteſt, in tantum ut ſecundum *Dionyſium* transformet ſuo modo amantem in amatum: quantò autem propinquius eſt amans amato, tantò veriùs, ſubtiliùs & perfectiùs ſibi revelatur amatum. Unde *Hugo*: *Conſtat quòd qui ardentiùs diligunt, profundiùs perſpiciunt, & ſubtiliùs diſcernunt; & qui è vicino magis reſpiciunt, procul dubio evidentiùs cognoſcunt.* Igitur rectiſſimè quantò magis æterna amantur, tantò perfectiùs cognoſcuntur: ex magnitudine enim diuinæ dilectionis, pendet modus divinæ revelationis. Et ideò dixit *B. Auguſtinus*, quòd quantò flagrantiùs Deum diligimus, tantò certiùs ſcimus quia eum videmus.

Lib. Conf.

Lib.

Cauſſa autem hujus multiplex eſſe poteſt.

Prima, quia charitas compeſcit & tranquillat inſolentem carnalium deſideriorum tumul-

Digitized by Google

tumultum, qui intellectualem oculum obnubilat.

Secunda, quia amor Dei facit amantem, ſeduliùs, intimiùs & attentiùs inquirere ſtatum amati, & placentia illi.

Tertia, perfectiùs cognoſcitur vinum guſtando & videndo ſimul, quàm videndo ſolùm. Amor autem eſt quaſi experimentalis guſtus amati, & per conſequens facit ad pleniorem cognitionem ejus qui amatur.

Quarta, ſicut creſcente calore tandem erumpit lux flammea, ita inardeſcente amore ſurgit ſplendor ſapientiæ & intelligentiæ, quo tandem candeſcit anima, ſicut ferrum ignitum.

Quinta, quia, ut dictum eſt, amor Dei ſincerus meretur ut amans ſpecialiter ab amato dirigatur in cognitionem ſui & omnium, in ordine ad ipſum amatum.

CAPVT X.

Signa ex quibus colligi poteſt, an in aliquo ſit charitas Dei.

OPportunum igitur fuerit ad probationem ſpiritus, ſcire in quo ſit charitas Dei: cognoſcitur autem hoc ex quibuſdam ſignis & conjecturis.

Primò

Digitized by Google

Primò, ex dolore de offenſa Dei & peccatis præteritis.

Secundò, ex propoſito efficaci de cætero cavendi peccata.

Tertiò, ex delectatione in auditu ſermonis Dei, vel ſermonis de Deo: quia verè amans delectatur audire de amato, & verba ejus diligenter auſcultat.

Quartò, ex promptitudine ad opus Dei, ſeu ad opera bona, & ad verba exhortatoria. *Gregorius*, quia *amor Dei otioſus eſſe non poteſt, ſed operatur magna ſi eſt: ſi autem operari renuit, amor non eſt.* Unde quidam:

Militia ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes.

Quintò, ex triſtitiâ de malo aliorum ſpirituali; *qui* enim *non dolet de malo proximi*, ait *Auguſtinus*, *non eſt charitas Dei in illo.*

Sextò, frequens & juſta conſcientiæ examinatio de peccatis nedum mortalibus, ſed etiam venialibus, quia venialia opponuntur fervori charitatis, licèt ſtent realiter cum charitate. Et hoc ſignum eſt perfectioris charitatis.

Septimò, animalis & mundialis concupiſcentiarum notabilis & perſeverans diminutio.

Octavò, profectus exercitationis interiorum ſive ſpiritualium ſenſuum ſeu virtuum, ſignum eſt roboratæ jam charitatis.

Nono, ſtudioſa mandatorum Dei obſervatio,

vatio, juxta illud: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit*, &c.

Decimo, Divinarum virtutum revelatio, juxta illud Salvatoris: *jam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Certum igitur tibi ſit*, ait Richardus, *quia dilectum minus diligis, & ab eo minùs diligeris, ſi ad theoricos exceſſus nondum vocantem ſequi merueris.*

Porrò ſigna perfectæ charitatis ſunt.

Primum. Si pro ſalute proximi quis mori paratus ſit, in hoc Chriſtum imitando.

Secundum. Si quis inimicum diligat, eique benefaciat. Matth. 5.

Tertium. Si cuncta adverſantia gaudenter intuitu Dei ſuſtineat, & patienter ferat.

Quartum. Si omnibus renunciare paratus ſit, & ſequi Chriſtum.

Quintum. Si nihil præter Deum timuerit, quia *perfecta charitas foràs mittit timorem.* 1. Joan. 4. 18.

Sextum. Profunda & intima ſuſpiria mentis, ſigna ſunt perfectæ charitatis.

Septimum. Ardentia deſideria jugiter in ſummum bonum tendentia.

Octavum. Languor vel languida converſatio faſtidiens cuncta temporalia.

Nonum. Expectatio tædioſa ſub qua clamatur: *Tædet animam meam vitæ meæ*; præſens enim vita tædere incipit, cùm divinus amor dulceſcere cœpit. Job 10. v. 1.

Decimum.

Digitized by Google

Decimum. Egreſſiones ecſtaticæ ſigna ſunt perfectæ charitatis, quia amor exceſſivus quandoque quaſi inebrians, facit ecſtaſim, & immutat hominem, ut aliquando nec ſentiat ſe, nec quicquam quod eſt in mundo.
Gal.2.v.20. Unde Paulus, *vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.*

CAPVT XI.

Certò ſciri non poſſe in quo ſit charitas.

HIs itaque & ſimilibus ſignis contentos nos eſſe oportet pro ſumendis conjecturis, an in nobis ſit charitas, vel an ſupernaturali motione agamur infuſæ charitatis. Certitudinaliter enim & evidenter id ſcire non poſſumus: quia actus amoris naturalis & acquiſitæ dilectionis reperiuntur ſimillimi actibus ſeu effectibus infuſæ charitatis etiam maximis & præcipuis. Unde *S. Auguſtinus* 16. de Civit. Dei narrat, quomodo multi utilitatem Reipubl. propriæ vitæ antepoſuerunt: maximus autem charitatis effectus eſt animam ponere pro alio; igitur. Multi quoque voluptatibus carnis & ſæculi vanitatibus renunciaverunt adeuntes ſolitudines amore acquirendæ ſcientiæ & ſapientiæ. Accedit quòd in Angelis ante ipſorum beatitudinem fuerit quædam naturalis ſuper omnia

Digitized by Google

nia Dei dílectio: naturale namque eſt omni rationali creaturæ, ut cognito quòd ipſa ſit liberaliter à Deo producta, & liberè ab eo dependeat ac conſervetur, & quod prætereà omne bonum ex liberaliſſimâ ejus bonitate ſuſceperit, conſurgat ad Dei dilectionem, & gratiarum actionem. Et ideò non poteſt evidenter cognoſci, quæ adfectualis motio hominis ſit ex habitu deſuper infuſæ charitatis, & quæ ex aliis conſiderationibus vel habitibus acquiſitis: & hoc maximè in habentibus fidem, qui aliquando ex charitate operati ſunt, & ſic habitum acquiſiverunt, qui indubiè ad ſimiles actus inclinat actibus prioribus ex habitu charitatis infuſæ elicitis. Ad hæc, perditâ charitate, adhuc ex cognitione Dei quæ habetur ex fide, procedit quædam Dei dilectio præſtantior dilectione ipſius, quæ poteſt haberi ex purâ naturali Dei cognitione per creaturas. Si ergo inter motiones adfectuales hominis, quæ in ipſo à furſum ſpecialiter oriuntur, & eas quæ à deorſum pullulant, evidenter diſcerni non poteſt, ut dictum eſt; pari ratione difficilis erit nobis diſcretio intellectualium motionum & illuſtrationum ſupernaturalium, & aliorum aliundè contingentium: niſi fortè per eventum rei præcognitæ ſeu prævifæ naturaliter incognoſcibilis diſcernatur aliquis deſuper inſpirari.

Digitized by Google

CAPVT XII.

Quomodo diſcernatur ſpiritus Dei ab aliis ſpiritibus ex puritate & abſtractione ejus cui ſit allocutio.

IAm de probatione ſpiritus ex habitudine ejus qui creditur inſpiratus ad ſeipſum in puritate & abſtractione videamus.

Unde adverte, quorumdam hominum animas ſeu ſpiritus fortiùs eſſe alligatos vel immerſos corporibus quàm aliorum. Quidam enim à nativitate ex complexione ſeu conſtellatione facillimè ſunt paſſibiles & vehementer inclinati ad ea quæ ſunt mundi, ad divitias, & dignitates; alii ad corporales concupiſcentias & delectationes naturaliter fortiſſimè ſunt inflammati.

Aliorum verò animæ ſeu ſpiritus ex diuturnâ conſuetudine & habituatione ad carnalia & mundana, quaſi inavulſibiliter ſunt ligati & quaſi faſcinati. Et horum omnium ſpiritus difficulter abſtrahibiles ſunt, ut perveniant ad perfectum gradum abſtractionis.

Aliquibus verò naturaliter non ſapiunt deliciæ carnales & corporales, nec mundi vanitates, quia ex naturali diſpoſitione inclinati ſunt ad virtutes, & quaſi inſenſibiles reſpectu vitiorum & ſenſualium concupiſcentiarum.

Digitized by Google

ſcentiarum. Sunt etiam nonnulli, qui ad hæc quæ dixi, attigerunt non dono naturæ, ſed diuturno virtutum exercitio. Et in his, & in illis, virtute Verbi Dei facilis eſt illa animæ & ſpiritus diviſio, de qua loquitur Apoſtolus ad Hebræos. Iſtorum enim ſpiritus facilè abſtractibiles ſunt ab hiſce factis, quæ vitam reſpiciunt animalem & mundialem: atque ſic tales citò pervenire poſſunt ad interiorem quietem & tranquillitatem mentis, quæ eſt diſpoſitio ad ſentiendum & capiendum deſuper illuminationes divinas. Ad Hebr.4. verſ. 12.

Sed ſunt etiam gradus in abſtractionis aſcenſu, antequam ad perfectum illum gradum perveniatur. Quoniam nonnulli abſtracti ſunt à faſtu & vanitate mundi, non appetentes jam divitias, honores vel ſæculi dignitates, quas jam reliquerunt: nondum tamen abſtracti ſunt à deſideriis carnalibus, nec ea reliquerunt, ſed eis adhuc ſerviunt & ſubjacent. Aliqui ab utroque modo abſtracti, licet vicerint jam mundum & carnem, nondum tamen eorum ſpiritus ad ſtatum tantæ libertatis pervenit, ut aliquoties in exceſſu mentis poſiti derelinquant operationes ſenſuales & naturales, ſicut contingit in raptibus & ecſtaſibus, in quibus homo exit quaſi à ſeipſo, uti legitur in Actibus Apoſtolorum de B. Petro qui fuit reverſus ad ſeipſum; & per conſequens

Digitized by Google

fuit extra ſe contemplando quæ tunc vidit.

Ille ergo in quo non reperitur amor ſolitudinis ſolitariæ converſationis, nec ſufficienter fortè aliquis gradus dictarum abſtractionum, non facilè credendus eſt ſpiritum Dei habere, qui carnis pinguedinem refugit, & in tumultu inſpirare non conſuevit.

CAPVT XIII.

Quomodo diſcernatur Spiritus penes ſtatum illius, cui fit talis allocutio?

IN probatione ſpiritus, ut præmiſſum eſt, convenit etiam conſiderare ſtatum credentis ſibi fieri revelationes.

Ubi adverte, quod ſicut Deus dominium & curam brutorum dedit hominibus; ita hominibus infirmioribus & imperfectioribus præpoſuit homines ſuperiores & perfectiores, ut eorum curam habentes illis providerent, atque in agendis & cognoſcendis ad ſalutem dirigerent. Niſi enim meliùs & convenientiùs homines per homines curari & regi potuiſſent, cur Dei filius homines directurus homo factus fuiſſet? Cur Cornelius quem Angelus informare potuit, ad Petrum pro eruditione miſſus fuiſſet? & Saulus ad Ananiam? Eſt ergo ordo divinæ illuminationis ut de agendis inferiùs, ſuperiores

Digitized by Google

riores primò recipiant radios divinæ lucis, Angeli nempè ſupremi Deo aſſiſtentes, & ab illis deriventur in Angelos inferiores tanquam in executores divinorum mandatorum, & vlteriùs ab illis veniant illuminationes in ſuperiores homines, qui in politiâ humanâ aliorum curam gerunt.

Atque hinc eſt quòd ratione hujuſmodi divini ordinis etiam Gentilium Reges & Præſides legantur præ cæteris gentilibus revelationes & viſiones ſomniales habuiſſe de bonis & malis futuris, & quandoque de magnis myſteriis, ut patet in Nabuchodonoſore, Pharaone, aliiſque multis. Quare etiam Philoſophi volunt, quòd ſomnia Regum & Præſidentium, quibus Reipublicæ diſpoſitio eſt commiſſa, ſint magis ſignificantia, ampliuſque obſervanda & diſcutienda. Si ergo omnis poteſtas à Deo ſit, qui præſidentiis hominum politiam humanam diſpoſuit gubernandam; quid mirum, ſi Deus magis tangat & moveat corda præſidentium, ſive ſint boni, ſive mali? Præſidentium namque viſiones, ſomnia, & internæ motiones, non ſunt principaliter propter bonum ipſorum, ſed propter bonum totius communitatis eis commiſſæ; talium ergo malitia in hoc caſu non obſtat; leguntur enim & mali propheraſſe, & mirabilia feciſſe, & Dæmones in *Ieſu Chriſti* nomine ejeciſſe.

 Cùm

Cùm igitur de viſionibus alicujus, aut miraculis dubitatur, an à ſpiritu bono ſint, conſiderandum eſt, quem ſtatum aut gradum in Eccleſiaſticâ hierarchiâ habeat, vel habuerit, nimirum an Prælatus vel Præſes ſit, an auctoritate Eccleſiæ Doctor ſit, an legitimè ab Eccleſia vel ſingulariter à Deo miſſus ſit ad ea facienda quibus ſe intromittit. Et tenetur ille docere de ſuâ miſſione, vel litteris authenticis, vel miraculis evidentibus, vel prophetiarum ſuarum crebris eventibus: aliàs ſpiritus quo talis homo agitur ſuſpectus habendus eſt.

CAPVT XIV.

Quomodo diſcernatur ſpiritus penes zelum pro Deo, & juſtitiam ejus, cui ſit.

POſtremò ad probationem ſpiritus, qualitas deſiderii & zeli pro Deo, & juſtitia examinanda eſt. Nemo enim dubitat, quin ardens deſiderium emendationis & reductionis aliorum in viam ſalutis, & fervens zelus liberationis miſerorum à malo culpæ, erroris, & pœnæ, ſi fuerit piæ compaſſioni innixus, rectâ intentione conceptus, atque diſcretionis moderamine opportunè regulatus, rationabiliter meretur ut tali zelo inardeſcens ad Dei gloriam pro ſalute aliorum

Digitized by Google

aliorum præ cæteris recipiat conſolationem ex revelatione cæleſtium ſecretorum. Hoc modo Danieli, quia vir deſideriorum erat, revelata fuit liberatio populi Jſraël, & tempus veræ redemptionis per Chriſtum futuræ. Sic & ille juſtus Simeon magno deſiderio expectans redemptionem Jſraël meruit videre Chriſtum Domini. Quoniam ut ait *Richardus, abſque dubio nihil ſic placet Deo, nihil ſic placat Deum, quomodo zelus animarum.* Neſcio an poſſit homo à Deo majus aliquid accipere in hâc vitâ, quàm ut ejus miniſterio perverſi homines in meliùs mutentur, & ut de filiis Diaboli filii Dei efficiantur. O, inquit, *quàm multas cæterarum virtutum proles ex Dei gratiâ multi conceperunt, & de ſe genuerunt qui hanc virtutem nondum acceperunt. Quàm multos videmus hodie ſpiritu pauperes, ſpe gaudentes, charitate ferventes, multum abſtinentes, admodum patientes, ad zelum tamen animarum nimis tepidos.* Alii ob cuſtodiam humilitatis delinquentes increpare non præſumunt; alii ne charitatem perturbare videantur, peccantes arguere metuunt: ſic & alii aliis atque aliis de cauſis zelare pro Domino omittunt.

Daniel 9.

Luc. 2. v. 26.

E contrà autem multi abſque dubio agunt in ſpiritu furoris, quod ſe agere arbitrantur zelo rectitudinis: & quæ facto exequuntur indiſcretè aut odio hominum, ſe exercere

putant odio vitiorum. Dixi ergo notandum ſuperiùs, an zelus fuerit opportuno diſcretionis moderamine regulatus, quia niſi contingeret zelum Dei quandoque diſcretionis metas excedere, ſcriptum non eſſet, *zelum* Rom. 10. verſ. 2. *Dei habent ſed non ſecundum ſcientiam.* Talis enim zelus ſic nonnunquam inebriat, imò furere facit, & deducit quoſdam, ut virium ſuarum menſuras non attendant, nec quid aut qualiter agant debitè diſcutiant. Unde metas diſcretionis multipliciter tranſiliunt vel præſumendo ultra vires, vel attentando res ſuo ſtatui non congruentes, vel aliter quàm eorum ſtatus exigat quibuſdam ſe intromittentes, vel ubi & quando perficere non poſſunt ſuperfluè efflammantes, aut ſuum zelum ad bonum inconvenientibus viis & mediis exequi laborantes.

CAPUT XV.

In omni opere ſpirituali virtutem diſcretionis eſſe neceſſariam.

QVanti putas, & quàm communi reputatione Spirituales ſæpè hîc damnabiliter ceciderunt, defecerunt, & nonnunquam etiam poſt aliarum virtutum cumulum graviter erraverunt, inſtituta virtutis diſcretivæ negligentes. Cauſſa eſt, *quoniam,*

ut ait

Digitized by Google

ut ait *Richardus*, *vix, vel ſerò talem virtutem accipere meremur*, quia ad diſcretionis perfectionem non ſine magno uſu magnaque experientiâ erudimur. Oportet nos priùs in ſingulis virtutibus plenè exerceri, & quid in unaquaque poſſimus experiri, quàm poſſimus de omnibus plenam ſcientiam percipere, & ſufficienter judicare. Multa quidem de diſcretione legendo, multa didicimus audiendo, multa ex inſito nobis rationis judicio, veruntamen nunquam de hac virtute, ſine quâ nulla eſt virtus, plenè erudimur ſine multiplicis experientiæ magiſterio. Utique priùs omnes ſequi oportet, & expertiſſimum eſſe eum qui de omnibus veraciter judicare debet, atque circumſpectiſſimum fore, qui diſcretionis inſtituta cuſtodire debet. Quid enim durius, quid difficilius, quàm nihil faciendum negligere, & nunquam negligenda admittere, & in omni facto ſuo nunquam modum perturbare, nunquam ordinem confundere, nunquam modum excedere?

Crede mihi, nihil animus à ſe difficilius extorquet, quàm ut in omni adfectione ſuâ modum ſervet, nec eſt hoc humanæ induſtriæ, ſine ſpeciali Dei juvamine. Unde *B. Cyprianus*; hanc diſcretionis virtutem legimus ab Apoſtolo inter nobiliſſima Spiritus Sancti dona nominari. *Alij*, inquit, *datur per* 1. Cor. 12. 8.

 Spiritum

Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alii diſcretio Spirituum. Non eſt ergo terrenum vel parvum diſcretionis donum, ſed divinæ gratiæ præmium. Quam quidem virtutem niſi Monachus omni intenſione fuerit aſſecutus, & adſcendentium in ſe ſpirituum diſcretionem certâ ratione poſſederit, neceſſe eſt eum velut in nocte cæca cæteriſque tenebris oberrantem, non ſolùm pernicioſis foveis ac præruptis incidere, ſed in planis quoque & directis ſæpiùs offendere.

Hæc eſt diſcretio, quæ oculus & lucerna corporis in evangelio nuncupatur. Hæc ab Apoſtolo ſal appellatur, hæc vitæ noſtræ dicitur gubernatio; hæc eſt genitrix, cuſtos, moderatrix omnium virtutum: hæc conſilium rectiſſimè nominatur, ſine quo nihil agere omninò Scripturæ auctoritate
Ezec. 32. 24. permittimur. *Fili ſine conſilio nihil facias.* Idcircò non mirum, ſi nonnullos Monachorum, cùm in illis etiam exuberarent ſanctarum opera virtutum, diſcretione ſolâ deficiente, ita legimus repentè deceptos, ut inceptum opus non potuerint congruo exitu terminare, ſummumque fervorem & laudabilem converſationem deteſtabili fine concluſerint, ſicut moderno tempore factum in quodam Patre Monaſterii reminiſcor & vidi: Hæc Cyprianus.

Maximè autem opus eſt plenitudine hujus

Digitized by Google

jus virtutis, ne quemquam abducens præcipitet ille ſpiritus callidiſſimus auſteritatis & ſingularitatis. Dico *callidiſſimus* quoniam ſpirituales viros ſtatum perfectionis profeſſos, vel quaſi jam adeptos novit irrevocabiliter dejicere, dum ipſi attendentes quàm diu, quàm perfectè, quàm pœnitenter & abſtractè converſati ſint, nemini ipſorum errori conſulere volenti, nolunt credere. Et quia habent quaſi pro impoſſibili, quòd Deus tales permittat errare, cunctis in judiciis præſumunt ſe ſaniores, quia in vitâ ſunt ſpiritualiores & abſtractiores à mundanis, innixi Apoſtolo dicenti: *Animalis homo* 1.Cor.2.14.
non novit ea quæ Dei ſunt, ſpiritualis autem omnia dijudicat. Ecce ſubtilitatem deceptionis hujus ſpiritus, ecce arma defenſionis ejus: quæ, quia difficulter ſunt penetrabilia, ſæpè hi qui illis pertinaciter ſe defendunt, inſanabiles fiunt, dum nimis in eis confidentes quandoque in obdurationem proſiliunt. Audi quid de his *Richardus* dicat: *Hoc*, inquit, *eſt in hujuſmodi præ omnibus admirabile, imò ſuper omnia deteſtabile, quòd nullius unquam quantumlibet prudentis viri conſilio acquieſcunt, imò nec propriæ ſaltem experientiæ credunt; nec ſtunc quidem cum jam incipiunt & corde tabeſcere, & corpore deficere.* Quorum pertinacia maledictionis jaculo percutitur, cum ad illos per Jacob dicitur, *maledictus furor eorum* Gen.49.7.
quia

quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Mirabilis ſanè pertinacia, nec minor inſania, ab impetu curſus ſui, à devio erroris ſui, non niſi ſolo impoſſibiliratis fręno poſſe contineri. A quâ præſervet nos Dei Sapientia, Sanctique Spiritus gratia. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

VEN. P.
GVILIELMI
TOLOSANI
EREM. AVGVSTINIANI
S. THEOL. DOCTORIS
TREMENDA VISIO
DE
POENIS INFERNI.

Ex MS. Codice Bibliothecæ fratrum Cruciferorum Coloniæ, ſtilo emendato.

Digitized by Google

LECTORI
BENEVOLO
S.

TRES, vel quatuor reperio *Guilielmos Toloſanos*, S.Theol. Doctores *Ord. Eremitarum S. Auguſtini* : ſed cui præciſè hæc *Viſio* debeat tribui, incertum.

Primus anno 1318. in Capitulo Generali *Arimini* celebrato ſub *Alexandro de S.Elpidio*, Studentium Italiæ examinator conſtituitur in hæc verba: *Studentium in aliquo ſtudio de Italia pro præſenti anno ſit examinator Ven.M. Frater Proſper de Regio: .... tertio anno Ven. M. Guilielmus de Toloſa.*

Secūdus *Guilielmus Saphontis*, aliis, *Savontius, qui tanto valuit ingenio, tamq; acerrimus fuit diſputator, ut in confutandis aliorum dictis parem habuerit neminem, neque apud unum, ſed plures periculū fecit; eratq; illi facile utramque contradictionis partem defendere: ſubtiliſſimus in mediis, in ſententiis brevilo-*

quus,

Digitized by Google

quus, diſtinctus & formalis in dicendo. Ita *Nicolaus Bertrandus* in *Geſtis Toloſanorum,* ſed ævo, quo floruit, ſuppreſſo: P.M. *Thomas Gratianus* in *Anaſtaſi* aſſerit claruiſſe anno 1350. cui accedit *Poſſevinus.* Verùm ex *Regiſtris Generalium Ord.* conſtat eum anno 1420. fuiſſe *Regentem Lemovicenſem*; anno 1427. *Capituli Provinciæ Toloſanæ Præſidem,* anno 1433. *à Prioratu Toloſano abſolutum*, & anno 1452. *iterùm Præſidem Capituli Toloſanæ Provinciæ.* Niſi quis ſine fundamento velit eſſe diverſos.

Tertius *Guilielmus de Iuncono de Toloſa, anno* 1490. *S.T. Doctor;* 1495. *Provinciæ Toloſanæ Provincialis; deinde anno* 1498. *Prior Toloſanus; ſanctimoniâ & doctrinâ clarus, in agendis circumſpectus, in diſputando acutus, in prædicando elegantiſſimus.* Bertrandus ſuprà.

Quartus *B. Guilielmus Toloſanus S.T. Doctor Pariſienſis*, Religione, mortificatione, virtutibus, maximiſque miraculis clarus, ut varia ad Sepulchri locum depicta ſimulachra teſtantur. Obiit anno 1369. 18. Maij, ætatis 62.

ut ex

Digitized by Google

ut ex vita ipſius rebuſque geſtis à Nicolao Bertrando Advocato Parlamenti Toloſani, & à Simpliciano de S. Martino editis conſtat.

Sed nullum in illis ſolidum fundamentum, cur *Viſio ſequens de pœnis inferni*, huic potiùs tribuatur, quàm primo, vel ſecundo, vel tertio, licèt aliqua videantur probabilia poſſe adduci.

DE

Digitized by Google

DE POENIS INFERNI TREMENDA VISIO VEN. P. GVILIELMI TOLOSANI ORD. EREM. S. AVGVSTINI.

PRÆFATIO AVTHORIS.

O Quàm felix qui mortem maturè prævidet, peccatis abſtinet, & ſeipſum non negligit, ſeſe ſemper ad mortem diſponendo! felix nimiùm, qui poſthabitis cunctis retrotrahentibus, ad viam univerſæ carnis ingrediendam diligenter accingitur, ad iter, inquam, mortis capeſſendum ſe præparat, memor admonitionis divinæ: *& vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis filius hominis veniet*. Et hujus D.P.Auguſtini:

ad noviſsimum diem fratres chariſsimi, vigilemus, & de ſuo noviſsimo die unuſquiſque cogitet, ut de numero æternaliter damnandorum per mortis providentiam, excludatur. Minus enim jacula feriunt, quæ prævidentur: & nos tolerabiliùs mortis jaculum ſuſcipiemus, ſi providentiæ clypeo muniamur. Igitur quò efficaciùs te diſponas & muniaris, crudeliſſima quædam inferni tormenta mihi divinitùs demonſtrata, audi & conſidera.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT I.

Pœnas Damnatorum mente revoluens, cernit Dæmones ſe devorare nitentes, ac totius anteactæ vitæ ſcelera.

NOcte quadam perſolutis cum Sodalibus Matutinis, de more meditationi me dedi; & cùm intentiùs pœnis ac cruciatibus damnatorum vacarem, circiter unius horæ ſpatium, in ſomnum incidi: & ſtatim viſus ſum mihi infirmari graviſſimè, vſque ad mortem; &, Ecce qualis anxietas! me cingunt terribiles, feroces, multumque crudeles Dæmones; aſpectu deformi, rugitu horribili, terribili ululatu, ac latratu, adſtant, flammas per ora, ac oculos vomunt, dentibus frendent, eoſque aptant me devoraturi. Sed heu! priùs ſeriem totius anteactæ vitæ, ſcelera & peccata cuncta & ſingula mihi exhibent; quo magis me affligerent: hinc ſtupor & tremor incomparabilis, eorumdem exomologeſim anhelo & geſtio; ſed nigerrimus quidam Dæmon ori meo pedem ſuperimponens, prohibuit. O quis credat? quis explicet? quantum tunc timebam, quantum dolebam, quantum plangebam, quòd Sacramentum Pœnitentiæ neglexiſſem, in æterno conſtitutus tunc animæ meæ periculo. Quis mihi det, ut explicem

 horrorem

Digitized by Google

horrorem illum irruentem in me , cinctum Dæmonum catervis, ita enim me & cellulam circumvolabant, ut apes ſua ſolent alvearia.

CAPVT II.

Angeli Cuſtodis præſidium contra vires Diaboli.

SEd in tantâ anxietate quid agendum? Confeſſio impediebatur, auxilium deerat, hoſtes inſtabãt; ad Miſericordiarum Patrem confugi & dixi : O Domine Deus, ubi nunc Angelus meus, huc pervigil advolet, ſtet in circuitu meo & eripiat me. Sed fruſtrà: Angelus non comparuit. Itaque deſtitutum Diabolus, qui pede os meum concluſerat, ſuffocavit me, rapuitque animam meam ſæviùs quàm aquila prædam : ereptamque duxit in *regionem tenebroſam & opertam mortis caligine, in terram miſeriæ & tenebrarum, ubi ſempiternus horror habitat.* At tãdem ſolatium quoddam, advenit quidam multum lucens, fulgidus, dexterâ gladium rotans, Angelum credo tutelarem meum quem precibus expetieram, qui dixit Diabolo portanti me, dimitte illum. At præcipienti non obtemperavit : utpote qui ſuo, ut ajebat, dominabatur ſervo. Rurſum Angelus, ejus invidiâ anticipatam meam culpans mortem, jubet me dimittat; Diabolus minis

minis ejus territus, tandem me dimittit & fugit, receſſitque Angelus Domini à me.

CAPVT III.

Percipit lamenta Inferni, in illius profundum cadit, tunica illius comburitur, nudus manet, ac tridente per ignem volutatur.

EGo autem exanimis corrui in terram juxta civitatē altiſſimis cinctam muris, portarum, introitu patentiſſimo, & ad me paululum reverſus, lamenta, ejulationes, gemitus, planctus, ululatus horrendos percipio, fugio, infernum ratus, & fugiendo incautus appropinquo portæ civitatis. Quam ut adverti præ timore cœpi contriſtari, tædere & mœſtus eſſe: confortans autem me quidam juvenili formâ egregius, ad ingreſſum invitat, apertaque per eum portâ; fumo & fœtore exeunte intolerabili, ſcalas (is enim erat introitus) deſcendo, ille verò oſtio clauſo diſparuit: ego privatus comitatu, relictus ſolus aſcendo celerrimè, & eheu! franguntur ſcalæ, & in profundum decido inferni, & in medium ignis ardentis. Quo devorante tunicam meam, ſteti nudus & confuſus; mox manibus verecundiæ meæ cuſtodibus, poſt terga revinctis, tridente ignito volvor & re-

volvor per ignem crudeliter & amariſſimus meus fletus in hoc plures ad me Dæmones evocavit. Immanes tortores illi, illudentes mihi, fortiùs comprimunt & exagitant: murem me dixiſſes inter feles accedentes ludendo & recedentes.

CAPVT IV.

Effugientis tibia excoriatur & coxa, nares fœtore, oculi fumo, os ſtercoribus repletur.

SEd paululum ut vidi eos recedere ac felium inſtar ſe abſcondere, effugere conor; at irrito conatu, nam effugientem rapuerunt, & tibiam mihi unus tortorum tridente excoriavit & coxam. Et ubi ita detinebar, tantus nares fœtor, & oculos fumus cinxit, ut ignis mihi potior videretur. Hîc me liberationi intendentem ac cogitabundum, proceri inſtar equi acceſſit Diabolus portans hominem capite devorato ac inverſo: à quo cùm effugium ab his factoribus efflagitaveram; veni, inquit, ad requiem te ducam, compatior enim tantæ ſenectuti, & canitiei venerandæ: Barbâ quippe canâ & crine prolixo apparebam, & qui vix mediæ horæ (attendite pœnas æternas) jam mille annorum ſpatio ſuſtinuiſſe videbar ſupplicia. Sequor itaque ducentem;

Digitized by Google

centem; at ille ſtercoribus manu ſuâ exceptis, illicò perfricuit os meum. Hæccine, inquio impatiens, viliſſime Dæmon eſt compaſſio tua? At ille, hæc ſoleo propinare Bacchum manè colentibus; & evanuit.

CAPVT V.

Dirâ cruciatur fame, cui ſedandæ pomum oblatum comedit, quod in plumbum liquefactum convertitur.

POrrò, illo evaneſcente, tanta & tam inexplicabilis fames me excruciavit, ut altiſſimè exclamans ignem infernalem mihi cibum exoptarim, & vehementiſſimo, ne perirem, deſiderio deſideraverim neglecta ſtercora & excrementa Dæmonis. Attende igitur hæc prudens lector, & hîc temperatè jejunium cole, & ne poſteà hac fame premaris & tu. Sed cùm ſic exclamarem, ecce arborem refertam pomis; hic famem ſedare certò exiſtimabam, etenim cuſtos famenti unum obtulit (quàm opportunè, quàm gratum cogita) oblatum ſummo deſiderio, mirâ aviditate maſticabam, & ah dolor! pomum in ore liquefit, in plumbum convertitur ardentiſſimum: verumtamen nimia fames ipſum deglutivit ingenti cum tormento; non ſatis enim erat interiora mea torqueri, conſumi,

 anni-

Digitized by Google

annihilari, ſed pluſquam Tantalicam in me generavit ſitim.

CAPVT VI.

Inexplicabilem patitur ſitim, calorem, frigus.

PAri itaque ſiti vel majori, ut fame, premor: & in hac preſſura conſtituto Diabolus occurrit peregrinus, ad iter longiùs conficiendum, de omnibus bene proviſus, inter quæ lagenam cernens, vino plenam credebam: potum rogavi, roganti conſenſit ſtatim, lagenam tradidit; monens ne deturparem, faciem enim meam ſtercoribus adhuc ſordidatam conſpiciebat. Lætus ego, ſitim ut ſedem, bibo: at ecce crudelis beſtia è lagenâ exſiliens, crudeliter faciem unguibus dilacerat & dicerpit. Prô! Quale vinum, qualis potus! & ille ſic me illuſo diſceſſit. Sed mox mihi clamanti quid faciam, quò tendam, quis me liberabit de tormentis caloris hujus? alius Dæmon liberator adfuit: poſſum, inquit, te liberare de calore hoc, non ulterius: meque rogantem hanc liberationem, ſequi jubet, ſequor, ad lacum ducor, inſilio; & heu! lacus ſummi frigoris plus me afflixit, quàm calor intenſiſſimus: hinc clamo, reclamo, in ignem projicite. Sed ô durum reſpon-

Digitized by Google

ſponſum! non exeunt tam citò, qui huc veniunt; Durior pœna! catenâ in collum jactâ ligor, detineor: in medio enim aquarum fixa erat pergrandi lapide. Et hic me detento diſparuit: egregius liberator! Evaſionem itaque deſperans, lapidem ad quem eram ligatus, aſcendo, quo aliquid levaminis ſentirem; ſed quanti conſtitit hic mihi aſcenſus! unus miniſtrorum me dejiciẽs crudeliter volvit & revolvit per aquas; tunc ſtridebam dentibus, toto corpore tremebam: & penè deficiens (quis enim hoc ſuſtineat?) dixi, vel liberer hâc pœnâ, vel moriar. Tunc alius ſimiliter accedens Diabolus: liberabo te, inquit, ab aquâ, ſi frigus pati velis: ipſe plenus anxietate & frigore oppreſſus reſpondi, fac quòd vis, modo hinc exeam.

CAPVT VII.

Ducitur ad locum, ubi à beſtiis mira patitur.

LIberor itaque, & ab illo Dæmone ducor ad locum quadratum & repletum multis beſtiis inſtar equorum; monſtra erant horrenda, informia, ingentia, quadrupedia: una beſtia duo capita habebat, alia tria, alia quatuor, alia quinque; Sed vide monſtrum illud duorum capitum: unum quippe caput

Digitized by Google

videbatur ſimiæ, & aliud canis: quodlibet caput habebat oculos quatuor, in fronte & loco debito: per totum corpus cujus prior pars inſtar equi, erant capita humana & extenſæ manus, quas vorabant capita illa, & recreſcebant in pœnas: oculi lippiebant ſanguine, ora ignem vomebant: pars poſterior inſtar bovis ſine collo: vertebatur inſtar arcus, adeò ut priùs caput videret poſterius; utrumque inſuper cornutum, prius verſus terram, alterum ſuper ſcapulas. Et tandem, cùm ſimiæ caput mihi intimaſſet mala acta mea; projecit me ſuo cornu in beſtiam trium capitum; equitem me dixiſſes, ſed quàm timidum! Illa me rapuit dentibus per tibiam, & beſtiæ quinque capitum me tradidit; hæc me devorare parata deprecantem ac lamentantem, pedibus conculcat vehementer: poſtmodum hęc me rurſum tradidit contritum penè beſtiæ duorum capitum, quæ me devorat, & integer pervenio in caput bovinum poſteriùs; mox vertit ſe eò caput ſimiæ me extrahens, & ſtentorio clamore edito mirabiliter, cum cæteris monſtris diſparuit. Ad clamorem verò hunc evolant per aerem ad me duæ beſtiæ ingentes & feroces; Cattos nigros crede ſecundum facies, Elephantes ſecundum dentes, & tauros ſecundum cornua, ſed tortores ſecundum tormenta; etenim inſtar muris me rapiunt de loco in locum dentibus ac cornibus.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Molendinum malleis ferreis, Sedemque cernit clavis ignitis plenam, hominesque in eis patientes.

PEractâ hac ſcenâ lugubri, & ipſæ receſſerunt & ego receſſi velociter, timens earum reditum; fugi autem per aliam viam, ne inciderem in priora tormenta ignis & aquæ, quibus appropinquaveram, & perveni ad manſiones multas & diverſas. Intro primam; in qua conſpicio molendinum ex malleis ferreis, cujus rota per ignem volvebatur: volvebat & homines, malleis eos percutientibus, & in ignitam ac ferream trudentibus foveam; Ixionis finge rotam, ſed minimè fabuloſam. Verum & aliud ſpectaculum attende ejuſdem loci; intraverat quidam noviter, cui Diabolus quamprimum cathedrã clavis ignitis plenam ponebat, nudumque compellebat iſtâ ſedere: alius miniſter, chlamyde, quàm attulerat, ferreâ & ardenti illum cooperit; & hoc modo conſtitutum illudebant dicentes, vivat Dominus, vivat, bibat. Et mox unus potum ei miniſtrabat; ſed amarum nimis & fœtentem, adeò ut ejulando & clamando rogaret, ne illum biberet potum, dicens ſufficiat miſeria quam patior: & illi, non evades niſi bi-

bas;

Digitized by Google

bas; mortem ipſe expetebat, Dæmones verò rò reponebant, utique bibes: & unus deſuper, alius ſimiliter miſerius inſtrumento ferreo aperiunt os ejus, & nolenti bibere datus eſt potus abundanter, à tertio qui vas tenebat: poſtquam autem per alvum infuderat, etiam ori illius infudit. Verumtamen hæ pœnæ non ſufficiebant miniſtris infernalibus. Baltheo ardenti accingitur, & crudeliter conſtringitur ſuper renes, & patiens miſerabili voce clamavit, O Deus, ad hoc natus ſum, ut in æternum ſic patiar, nec ulteriùs brevi ſaltem morulâ quieſcam? Væ, væ mihi miſero nunc & in æternum.

CAPVT IX.

Homines videt rabidos, & furioſos ſe invicem dilacerantes, ac menſas duas cibis inſtructas.

EX hac manſione in aliam intromiſſus, vidi homines rabidos & furioſos in ſe ipſos deſævire. Quilibet eorum armatus pugione oculos ſibi eruebat, ac iterum iterumque renatos excavabat, ac ſimiliter ventris inteſtina rimabatur. Exinde ſe mutuo invadunt, & ſicuti canes rabidi ſolent, ſe invicem diſcerpunt

Digitized by Google

punt ac dilacerant. Hic cerebrum illius, alter alterius faciem corrodebat: alii manus ſibi mutuo, alii pedes ac tibias vorabant, alii cõ-edentium ſe per renes mordebant poſteriora, & genitalia abſumebant cum corde. Et cuncta prædicta continuò recreſcebant in novas pœnas.

Poſt hæc in alia manſione viſio æquè admirabilis: accumbebant menſæ plurimi; ſed quales quæſo cibi? qualia fercula? qualis panis? Gallinæ ardentes, perdices ignitæ, omniaque avium ciborumque genera flammantia; potus ſuccedebat, plumbum liquefactum: excrementa per ſeceſſum, globi ferrei, ardentis, acuti maximè adfligentia; quanti cruciatus, clamores quàm horrendi! quot ſuſpiria, quot gemitus! His excitati plurimi Dæmones & per convivantium menſas curſitantes, eas intolerabili fœtore ſtercorabant. Audiant & recogitent delicioſi hujus ſæculi; quorum Deus venter eſt, quorum finis interitus, & tormenta ejuſmodi. Hæc prima menſa.

Alterius hîc apparatus; porci & boves, qui cùm ſaturaverant comedentes, ventres eorum intumeſcebant, & parturientibus amariores dabant clamores: alii ſurgentes ignem præ afflictione fodiebant, alios movere ſeſe impotentes Dæmones deſrumpebant, viſcera extrahentes: illis lingua ferculum erat, his pedes cum inteſtinis.

Digitized by Google

CAPVT X.

Videt hominem uri, nec comburi, beſtiamq́; crudelem & Dæmones ipſum vexantes.

INde deductus in locum teterrimi odoris ac fœtoris, vidi continuò uri nec comburi hominem nudum, erectum, & ante ipſum beſtiam crudelem & deformem; inſtar canis ſtantis pedibus poſterioribus, cui in genitalibus muliebriis erat caput lupi, ſub capite autem ungues leonini, anteriores pedes magni catti. Et hoc monſtrum (attende tragœdiā) appropinquans homini illi oſculum petiit, da mihi oſculum. Dedit ille, at monſtrum ejus maxillam diripit, & tunc ſanguinolentum illum rapiunt Dæmones in locum ſtercoratum & immundum, volvuntque per ſtercora: inde in medium producitur, ducente illum Diabolo per præputium, manibus poſt terga revinctis, collo oneratum catenâ, flagellantibus à tergo Dæmonibus. Inter hæc unus tubâ canit; venite ad conjugium. Ad ſonitum tubæ exiliunt Dæmones, & miſerum hunc interrogant, vis conjugé? at ille deſperando, quod vultis facite. Tunc acceſſit una Diabolica, chlamyde ornata dicens, illum mihi date; ego eum lucrata ſum in prælio, & ſéper mihi ſervivit: datuſque eſt illi; mox ventum eſt ad

choreas

Digitized by Google

choreas diu multumque, ſed obſcœnas ac deformes: etenim multi viri & mulieres per totum corporis circuitum genitalia præ ſe ferebant. Choreæ illi conjungebantur catti, ſimiæ, diverſæque beſtiæ, & nudis genitalibus commiſcebantur: poſtmodum per genitalia flammas & ignem vibrabant in invicem. Cæterùm fœditatem & turpitudinem abominandam, mulierum præcipuè, taceo.

CAPVT XI.

Tormenta diverſarum videt feminarum.

PEractâ igitur hac horribili choreâ, conjunx illa hominem ad ſimiles invitat turpitudines, depoſitâ chlamyde (apparebat enim Diabolica illa in forma beſtiæ jam jam deſcriptæ) dixit: amplexaris me; amplexatur ille: ſed in amplexu, ut anteà maxillam, integram faciem exedit, & caput lupinum ejus genitalia, reliquum autem corporis cruentè unguibus dilacerat. Illo ſic excepto ſupervenit mulier velata facie, nuda corpore, genitale membrum manu cooperiens, Diabolo illam ducente ac canente tubâ: Ecce adduco vobis hanc tam ſanctam, tamque devotam; ponè autem ſequebatur altera omninò nuda. Quibus adductis multi accurrunt Dæmonculi præter modũ deformes ac Devotam illam contem-

Digitized by Google

contemplantur, inter hos unus capiti ejus impoſuit coronam de ferro candenti: coronata hæc planctum vehementem & ploratum excitat. Et ploranti loquebatur Diabolus, ſed prorſus non audiebatur. Mox aſcendens cum ea cathedram auditus eſt ſatis dicens: nolite illam multum cruciari, etenim non multum peccavit, ſed palus figatur ferreus per membrum & fixa maneat in medio domus. Et ita factum eſt. Fixâ itaque muliere, ſagittarii Dæmones ardentibus jaculis poſteriora ejus impetunt; his ſuccedunt catti ſcandentes palum, ſcapulas mulieris & mammillas unguibus totaliter diſcerpentes: mox ex aëre beſtia, equi inſtar, cujus alæ veſpertilionis, pedes aquilæ uti & facies, petit caput mulieris, & avolans cum velamine faciei ejus tulit coronam, quæ in avem rubeam, ciconiam fingito, converſa eſt; & hæc deſcendens in caput mulieris, roſtro ſuo longo & igneo perforavit caput ejus, & eruit oculos: velamen verò converſum in flammas, crines combuſſit; habuitque mulier (mirabile dictu & viſu) caput volubile, & hinc ſcapulas ſuas dantibus maſticabat clamans: Caro, caro, tu feciſti hæc omnia. O mulier quanta tormenta pateris quæ non multum peccaſti!

CAP.

CAPUT XII.

Alterius feminæ, & viri cruciatus.

SUbſequentis mulieris nunc paſſionem cognoſcite. Simili palo transfigitur, per genitalia ejus anteriùs & poſterius clavi cubitales igniti mittebantur, ac deinde de ventre extrahebantur: ſed luſus crinium quàm crudelis. Diabolus his ludens excoriavit caput ejus & rapuit crines cum pelle & impoſuit capiti ſuo, quos excreſcentes ad longitudinem ſuam pectine àc acu calidis variè ornabat, invidente alio Dæmone qui eos fruſtrà auferre ſatagebat, ſed poſteà acceſſit ad genitale mulieris & dentibus avellebat crines ejus mordendo acriter, etenim exigui erant, hinc dixit mulieri; ſi non habeam crines, habebo ſaltem pellem: & cultello à pedibus vſque ad nates eam excoriavit, reliquam verò partem extraxit violenter (anguillam cogita excoriatam) & ex corde exibant ſcintillæ ignis ardentis.

Hàc excruciatâ, oblatus eſt vir à quatuor Dæmonibus excruciandus: hic ligatum tenebat, ille canebat tubâ, alii duo carnifices agebant catenis aculeatis. Homo autem ille ſiniſtrâ librum, dextrâ panem ferebat, hunc comedebat, percutiens pectus, il-

 lum

Digitized by Google

lum intromiſſus aperiens legit. Aperto autem libro, audivi cælum omne moveri tonitru; miniſtris deinde exeuntibus, exeo & ego, & ecce fulgur percuſſit hominem illum & per medium capitis diviſit, apertaque terrâ abſorpſit eum fœtorem emittens intolerabilem.

CAPVT XIII.

Alios cernit cruciatus.

INde in aliam ductus fui cellam, in qua miniſtri plurimi computabant pecuniam, argentum & aurum & vaſi ingenti imponentes per ignem liquefaciebant; quâ liquefactâ Diaboli intruſerunt plurimos homines nudos in vas, apertoque per vim ori eorum infuderunt liquefactam pecuniam; alios quoque vidi equitum inſtar, ora tenentes aperta, quibus ſimiliter immittebatur, ſed nunquam venter eorum ſatur implebatur: ſic etiam quorumdam inſaturabilium manibus ferrum imprimebatur candens.

Poſt hæc vidi viros ac mulieres inclinatos in terram per circulum currentes, devorabatque alter alterius poſteriora; in medio eorum Dæmones, quibus quatuor facies, brachia plurima, centimanus, in qualibet manu baculum, quo excipiebant pigros & in curſu deficientes.

Deinde

Digitized by Google

Deinde oblati ſunt viſui meo multi in veru longo & groſſo, quos ignis torrebat: ad veru poſitum vas plumbo liquefacto erat plenum, heu! qualis inunctio! per diviſa ac ſciſſa effundebatur corpora; ac inunctas taliter & perfuſas delicatas mulierum mãmillas abſcindebant Dæmones, fercula dentium opipata. Mulier deinde ſe ingerit horribilis, plena ſerpentibus, qui per tibias aſcendentes, genitales irrepebant in partes, ac per os, nares atque aures erumpentes pungebant mãmillas ejus & corrodebant: neque hic finis miſeriarum, ſed crines ejus convertebantur in ſerpentes duorum capitum; hoc ſcapulas mulieris, illud caput conſumebat. Et ſi pedes reſpicias, ornabantur calceis ferreis, igniti, acutis, pedesque perforantibus cùm conſiſteret & graderetur.

CAPUT XIV.

A Spiritu aſſumptus alias intuetur pœnas, & quæ quibus ſint propria edocetur, eodemq; ſe invenit loco, in quo Meditationi vacaverat.

AD extremum à Spiritu aſſumptus in aëra, juſſus aperui oculos, &, ô juſte Deus, innumeras alias video pœnas, quas cùm inſpicerem attentiùs, in ſcalis conſiſto

quas deſcenderam priùs, & per portam exiens inveni illum qui me confortaverat, & riſit. Ego autem triſtitiâ, mœrore, ac horrore plenus, interrogavi eum, quis es tu? At ille, ſcies poſtea; & manifeſtans mihi aliquas pœnas, illi, inquit, quos molendinum cruciabat malleis percutientibus, ſuperbi fuerant; iracundi, qui armabantur pugionibus: guloſi accumbentes menſæ; quem verò beſtia Conjugem duxit, luxurioſos is deſignabat; avaros illi qui in cacabo bibebant pecuniam: ſingulaque tormenta ſingulis deſtinata peccatis explicans, me in lucem duxit, & receſſit; & ecce! eo loci, in quo Meditationi, pœnarum & tormentorum me dederam, ſedeo.

Hæc verò ſi non plenariè, ut vidi tamen, & recordari potui, ſcripſi, ut ego & cuncti hæc ſive legentes ſive audientes memores ſimus noviſſimi illius crudeliſſimi, tormentorum, inquam, infernalium, ubi, verè non eſt aliud niſi væ, væ, ſine fine; & per memoriam miſerias illas ſempiternas evadamus.

Repetite, repetite quotquot eſtis mares ſeu feminæ, juvenes, adoleſcentes, ſubditi, prælati, in quo quis peccat, in eo & punietur, & quantum quis delinquit, tantum ei tormentum & luctus dabitur. Infinita autem erunt tormenta, quia infinitæ ſunt culpæ. Advertite & ne miremini intẽſiſſimam infernalium pœnarum acerbitatem: duplicatæ quippe

Digitized by Google

quippe culpæ, duplicatum debetur ſupplicium, & nova culpa novam pœnam conſtituit, quilibet inſuper gradus culpæ auget gradum pœnæ.

Repetite, inquam, repetite tormenta illa inferorum, & credite firmiter minimum cujuſlibet cruciatum eſſe tantum & inenarrabilem, ut nulla hujus mundi ſupplicia eidem conferri poſſint. Quinimò cunctæ pœnæ quòd Iſaias ſerrâ ſectus, Hieremias & Protomartyr Stephanus lapidibus obruti: Amos per tempora transfixus; Ezechias exterebratus: Gentium Apoſtolus ter virgis cæſus, ſemel lapidatus, quinquies quadragenas una minus accipiens, capite tandem minutus; S. Jacobus interciſus cultris ac novaculis membratim diviſus, Bartholomęus excoriatus, Apoſtolorum Princeps crucifixus, Laurentius ſcorpionibus cæſus & poſtmodum aſſatus, cunctique mortalium ab Adam huc uſque pertulerunt, nunquam minimam inferni exæquabunt. Quod ſi mortalium quiſpiam inferni ſupplicia ipsâ experientiâ didiciſſet, mallet potiùs præfatos omnes cruciatus ſimul ſuſtinere uſque ad mundi conſummationem, quàm unâ die minimâ inferni ſive purgatorii pœnâ torqueri: nam comparatione illarum, cuncta quæ nos dicimus tormenta, ſolatia ſunt. Quamobrem non nemo hujuſmodi pœnas expertus, inquit, omnes linguæ ſæculi,

minimam quam infelix ſuo adflictionem, ſufficienter, & ut reverà eſt nunquam expriment. A quibus nos cuſtodiat Jeſus Chriſtus, qui pretioſo ſuo ſanguine nos redemit. Amen.

Ego autem per miſericordiam ejuſdem Domini mei Ieſu Chriſti ſpero hanc horribilem viſionem, pœnaſque ac adflictiones in ſalutem æternam animæ meæ profuturas: Idemque cunctis legentibus ac audientibus opto.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM LIBRI DE IV. INSTINCTIBVS.

CAP. I. *Inſtinctum eſſe quadruplicē, eorumq́; differentias cognitu difficiles.* pa. 49
CAP. II. *Inſtinctus Divinus quadruplici ſigno cognoſcitur.* pag. 51
§. I. *Si ad exemplum* Chriſti, *& Sanctorum invitet.* ibid.
§. II. *Si ad humilitatem.* pag. 52
§. III. *Si ad interiora mentem colligat, & unionem cum* Deo *procuret.* pag. 54
§. IV. *Si animam majori virtutum opulentia reficiat.* pag. 56
CAP. III. *Quatuor ſigna* Inſtinctus Angelici. p. 59
§. I. *Initio conturbat, in fine ſolatur.* ibid.
§. II. *Initio ſe abſcondit, in fine prodit.* pag. 61
§. III. *Ad utilia & bona ſemper invitat.* ibid.
§. IV. *Excitat voluntatem ad peccati deteſtationem, internæ devotionis fervorem, & dulcedinis prægustationem.* pa. 64
CAP. IV. *Diabolicus qualiter divino contrarietur.*

rietur. pag.65
§. I. *Semper inſtigat ad exemplis Chriſti & Sanctorum contraria.* pag.66
§. II. *Tumorem mentis inducit.* pag.67
§. III. *A proprio corde abſtrahit & elongat.*70
§. IV. *In virtutibus extenuat, gratuitis Dei donis exuit, ad creaturas convertit.* p.71
CAP. V. Diabolicus ab Angelico quadruplici ſigno diſtinguitur. pap.73
§. I. *Initio delectat, poſteà cruciat.* pag.74
§. II. *Initio ſecuritatem, in fine diffidentiam adfert.* ibid.
§. III. *Licèt in ſpecie, & re bonus videatur, nunquam tamen bonum ſortitur exitū.*76
§. IV. *Bonam voluntatem & charitatem extingunt.* pag.77
CAP. VI. Homo volens in ſcientia & ſanctitate proficere inſtinctum naturæ vitet. pag. 80
§. I. *Quia per varia phantaſmata mentem diſtrahit:* Divinus verò Deo unit. pag.82
§. II. *Quia inflat:* Divinus humiliat. pag.83
§. III. *Quia divinæ dilectionis fervorem minuit;* Divinus auget. pag.84
CAP. VII. Inſtinctus naturæ proficere in ſanctitate & gratia valentem impugnat quoad dona gratuita interiora. pag.87
§. I. *Meditatio beneficiorum Dei conſiſtit in tribus, & quàm ſubtiliter natura inſtinct us*

Digitized by Google

ctus ea impugnet. pag.88
§. II. Delectatio actuum virtuoſorum perficitur devotâ oratione, internâ devotione, & gratiarum actione. pag.91
§. III. Quomodo inſtinctus naturæ illis adverſetur. pag. 92
§. IV. Guſtus internæ dulcedinis acquiritur exteriorum abſtractione, ſuiipſius recollectione, & ignitæ charitatis tranſformatione. pag. 93
§. V. Qualiter Inſtinctus naturæ ea impediat. 95
CAP. VIII. Exercitium virtutum in tribus ſitum. pag. 97
§. I. Naturæ Inſtinctus hæc impedit bonorum operum vilipenſione, & acediâ. pag. 98
§. II. Nimia mollities propriumq́ commodum tria damna adferunt. pag. 99
§. III. Adverſa quævis pro Dei amore ſuſtinere paratus, à natura impeditur. p. 102
§. IV. Torcular paſſionis quomodo Chriſtus calcârit ſolus, cum Sancti plurima paſſi ſint. pag. 105
§. V. Omnia adverſa læto animo pro Chriſto ferenda, triplicem ob fructum. p. 108

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM LIBRI DE DISCRETIONE SPIRITVVM.

CAP. I. *Spiritus XII. ab intrinſeco V. ab extrinſeco VII. ſed quatuor principales.* pag. 123
CAP. II. *Quatuor cauſſæ naturales hominem impellunt.* pag. 126
CAP. III. *Regulæ ad diſcernendum Spiritus.* pag. 129
CAP. IV. *Pericula eorum qui ſpiritu auſteritatis ducuntur.* pag. 135
CAP. V. *Triplex genus internarum locutionum.* pag. 143
CAP. VI. *Quare Deus hominem ſupernaturaliter erudiens, ducat per media ſenſibilia.* pag. 147
CAP. VII. *Confirmantur dicta auctoritate S. Bernardi, & Richardi.* pag. 149
CAP. VIII. *An omnis cogitatio & meditatio tendens ad bonum, ſit revelatio divina.* pag. 153
CAP. IX. *Differentia inter Dei allocutionem & alias ex parte charitatis ejus* cui

Digitized by Google

cui ſit. pag.155

CAP. X. *Signa ex quibus colligitur an in aliquo ſit charitas Dei.* pag. 157

CAP. XI. *Certò ſciri nequit in quo ſit charitas.* pag.160

CAP. XII. *Ex puritate & abſtractione ejus cui ſit allocutio, quomodo Spiritus Dei ab aliis diſcerni poſſit.* 162

CAP. XIII. *Ex ſtatu illius cui fit allocutio quomodo diſcernatur ſpiritus.* p.164.

CAP. XIV. *Quomodo ex zelo & Iuſtitia ejus diſcernatur ſpiritus.* pag.166

CAP. XV. *In omni opere ſpirituali diſcretionem neceſſariam.* p.168

IN-

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM
LIBRI DE
POENIS INFERNI.

CAP. I. *Pœnas damnatorum mente revolvens, cernit Dæmones ſe devorare nitentes, ac totius anteactæ vitæ ſcelera.* pag. 179

CAP. II. *Angeli cuſtodis præſidium contra vires Diaboli.* p. 180

CAP. III. *Percipit lamenta Inferni, in illius profundum cadit, tunica illius comburitur, nudus manet, ac tridente per ignem volutatur.* 181

CAP. IV. *Effugientes tibia excoriatur & coxa, nares fœtore, oculi fumo, os ſtercoribus repletur.* pag. 182

CAP. V. *Dirâ cruciatur fame, cui ſedandæ pomum oblatum comedit, quod in pumbum liquefactum convertitur.* pag. 183

CAP. VI. *Inexplicabilem patitur ſitim, calorem, frigus.* pag. 184

CAP. VII. *Ducitur ad locum, ubi à beſtiis mira pa-*

Digitized by Google

ra patitur. pag.185
CAP. VIII. *Molendinum malleis ferreis, ſedemq; cernit clavis igneis plenam, hominesq; in eis patientes.* p.187
CAP. IX *Homines videt rabidos, & furioſos ſe invicem dilacerantes, ac menſas duas cibis inſtructas.* p.188
CAP. X. *Videt hominem uri, nec comburi, beſtiamq; crudelem & Dæmones ipſum vexantes.* p.190
CAP. IX. *Tormenta diverſarum videt feminarum.* pag.191
CAP. XII. *Alterius feminæ, & viri cruciatus.* pag. 193
CAP. XIII. *Alios cernit cruciatus.* pa.194
CAP. XIV. *A Spiritu aſſumptus alias intuetur pœnas, & quæ, quibus ſint propria edocetur, eodemq; ſe invenit loco, in quo Meditationi vacaverat.* pag. 195

FINIS.

Digitized by Google

PERMISSIO

R. AD. P. M. PROVINCIALIS.

DVo Libelli, unus de quatuor inſtinctibus, alter *de Diſcretione ſpirituum*, ille R. P.M. *Henrico de Vrimaria* S. Th·Doctore, hic R. P. *Henrico ab Haſſia* Theologo Erudititiſſimo, auctoribus Ordinis Eremit. S.P. Auguſtini Religioſis compoſiti, quos recenter R. P. Cornelius Dielman, ejuſdem Ordinis Iubilarius revidit & correxit, uti & *Tremenda Viſio* Ven. *Guilielmi Toloſani* ejuſdem Ord. S. Th. Doctoris, *de pœnis Inferni*, noſtrâ Licentiâ imprimentur. Datum Gandavi 11. Sept. 1651.

F. IOACHIMVS BRVLIVS Prior Provincialis.

APPROBATIO.

In hac B. GVILIELMI Viſione nihil continetur Fidei aut bonis moribus adverſum, aptaque eſt peccatoribus incutere utilem metum gehennæ: Proinde fructuoſè poterit imprimi Datum Gandavi die 5. Martii, 1651.

FR. CH. LVPVS.
S. TH. L.

Digitized by Google

APPROBATIO

LEgi Libellum R. P. *Henrici* à *Vrimaria Ord. Erm. S. Auguſtini.* pietate & doctrinâ Clariſſimi *S. Th.* Doctoris, De quatuor inſtinctibus, & tractatum R. P. *Henrici* ab *Haſsia* dicti de *Langhenſtein ejuſdem Ord.* Theologi Eximii de Spirituum diſcretione, ſtudio & labore R. P. *Cornelii Dielman*, dicti Ord. Religioſi ad vetuſta quædam manuſcripta exemplaria, collatos: qui non iis tantùm, qui ſibi vitam inſtituunt, prodeſſe poſſunt; ſed etiam illis, qui aliis præeſſe debent: quare utiliter imprimi poterunt, cùm Libello *tremendæ Viſionis de pœnis inferni B. Guilielmi Toloſani*, ejuſdem Ord. S. Th. Doctoris. Datum in Conventu S. Auguſtini, Teneramundæ, 12. Auguſti, Anno 1649.

F. IOANNES de WITTE Ejuſdem Ord.
S. Th. Licentiatus.

APPPOBATIO.
CENSORIS ORDINARII.

BInos hoſce Libellos de quatuor Inſtinctibus, & Spirituum diſcretione, unum V. P. F. Henrici à Vrimaria S. Th. Doctoris, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, alterum R. P. F. Henri-

Henrici ab Haſcia dicti de Langenſtein, Theologi eruditiſſimi ejuſdem Ordinis, utrumq; verò ex Manuſcriptis Exemplaribus per R.P.F. *Corneliũ Dielman* Ordinis Præfati Paragraphicè erutum, doctos juxta & utiles judico: Doctos, inquam, utpote qui doceant non omni Spiritui credendum, ſed probant ſpiritus ſi ex Deo ſint. Utiles verò, non ſolùm cuilibet homini ſpirituali, verùm vel maximè animarum præpoſitis qui pervigilant quaſi rationem de eis reddituri. Quare ut lucem publicam aſpiciant cum adjecto Libello tremendæ Viſionis de pœnis Inferni Ven. Guilielmi Toloſani Ejuſdem Ord. S. Th. Doctoris, dignos cenſeo. Datum Gandavi ipſo S. Luciæ Sacro. 1647.

NICOLAUS BREYDEL, S. Th. L. Can. & Cantor Eccleſiæ Cathedr. S. Bavonis, Librorum Cenſor.

21752

Digitized by Google